



I. S. A.
VENEZIA

BIBLIOTECA
I. e. 42

TESTI E DOCUMENTI DI STORIA
E DI LETTERATURA LATINA MEDIOEVALE

I


DOCUMENTI
RELATIVI ALLA STORIA DI VENEZIA
ANTERIORI AL MILLE

A CURA DI ROBERTO CESSI

I
Secoli V-IX

✓ p.

GREGORIANA EDITRICE IN PADOVA



Oy. il 15.3.1990
Salisbury.

TESTI E DOCUMENTI DI STORIA
E DI LETTERATURA LATINA MEDIOEVALE

I

DOCUMENTI
RELATIVI ALLA STORIA DI VENEZIA
ANTERIORI AL MILLE

A CURA DI ROBERTO CESSI

I
Secoli V-IX

GREGORIANA EDITRICE IN PADOVA

PROPRIETÀ LETTERARIA

Padova, Tipografia del Seminario.

PREFAZIONE

Credo utile raccogliere i documenti relativi alla storia di Venezia anteriori al mille per comodità degli studiosi, per opportunità di istituire una revisione critica della lezione di molti, per stabilire la loro autenticità o meno (in tutto o in parte), e per ripristinare, fino a dove sia possibile, il testo originale liberandolo dai brani interpolati.

Non escludo falsi e contaminazioni, a meno che non siano grossolanamente contraffatte senza alcun scopo: falsi e contaminazioni hanno un profondo significato, e non bisogna trascurare la loro genesi di alto valore storico.

Ho collazionato nuovamente i testi: e dopo questo lavoro ritengo di poter ricostruire la più corretta tradizione manoscritta, abbandonando codici e varianti, che non contribuiscano al miglioramento della lezione. Ho tenuto presenti tutti i codici accessibili; ho preso in considerazione tutte le varianti, per poter poi eliminare i codici inutili e le lezioni dipendenti da grossolani errori. In proposito devo rilevare che, trattandosi per gran parte di documenti pubblici (pontifici e imperiali), va-

rianti di parole non esercitano alcuna influenza sopra la retta interpretazione storica dei fatti, e non sono nemmeno apprezzabili sotto l'aspetto filologico, perchè si tratta non di particolarità lessicali, ma di errori di ammanuense, relativamente tardi. Diverso è il caso invece dei documenti notarili (in verità assai scarsi), soprattutto se giunti in esemplari abbastanza antichi. Vien fatto di domandare, se le lezioni migliori (vedi per es. n. 40, 44, 45, 53, 60), che si riscontrano in redazioni più recenti, siano dovute a opera di correzione tardiva, ovvero derivino da una tradizione più prossima all'originale. Testi di questo genere presentano discreto interesse anche dal punto di vista filologico, e ogni cautela è stata posta, perchè non venga meno un materiale, che può esser oggetto di notevoli indagini.

Ho indicato le fonti manoscritte, che, a mio parere, sono degne di esser prese in considerazione. Così per es. nei riguardi della *Cronaca del Dandolo* non ho creduto di tener conto dei codici posteriori al sec. XIV (e molti altri si potrebbero aggiungere a quelli segnalati dal più recente editore, la sign. Pastorello, nella ristampa muratoriana, a Lei sfuggiti), utilizzando anche la diligentissima collazione, che è in mio possesso, eseguita dal Monticolo sopra il codice Torinese prima della sua rovina. Così per i documenti, che fanno capo al codice Trevisaneo, non ho trascurato le lezioni delle copie marciiane compilate da Tomaso Diplovataccio: entrambe le raccolte sono derivate, tra la fine del sec. XV e il principio del sec. XVI, da più antico

esemplare, già in possesso di Giovanni Battista Cipelli, conosciuto sotto il nome di *Codex Egnatii*.


Ho limitato la bibliografia delle edizioni a quelle più recenti, sia perchè è superfluo registrare un apparato, che può avere solo interesse di curiosità erudita, sia perchè i precedenti recensori l'hanno data completa, ed è inutile ripeterla. Si aggiunga, che, oltre quelle redatte dagli editori dei *Monumenta Germ. Histor.*, del Dandolo, della *Cronica de singulis Patriarchis*, del *Chronicon del Diacono* Giovanni, esistono ampiissime bibliografie per ogni singolo documento, recenti e non recenti, dal diligente spoglio del Cipolla al magnifico regesto, sapientemente illustrato, dei documenti pontifici compilato dal Kehr (¹).

Queste opere dispensano dal moltiplicare citazioni inutili. Scopo della presente raccolta è quello di offrire riuniti in un solo corpo i superstite documenti veneziani, non troppo abbondanti, del periodo più antico nella lezione migliore.

Ringrazio il prof. B. Pagnin della collaborazione accordatami: ringrazio altresì il dott. Ferdinando Corrubia del valido aiuto per la revisione e per il riesame dei documenti dell' Archivio di Stato di Venezia.

R. CESSI

(1) CIPOLLA, *Fonti edite della storia della regione veneta dalla caduta dell'impero romano sino alla fine del sec. X*, in «Monumenti della Deputazione veneta di storia patria», vol. VIII, serie IV, Miscellanea, vol. II; KEHR, *Italia pontificia*, vol. VII, *Venetia et Histria*, Berlino, 1923-5.



1. — 421. Fondazione di Venezia.

FONTE: Museo civico, Padova, Arch. civ., *Liber partium Consilii magnifice comunitatis Padue*. («Liber Tabularum» o «Liber A.» — 1494), c. 165 v.

EDIZ: Lazzarini, *Il preteso documento della fondazione di Venezia e la cronaca del medico Jacopo Dondi*, in «Atti del R. Ist. Ven. di S. L. ed A.», t. LXXV, p. 1275 sgg., e in «Scritti di paleografia e diplomatica», Venezia, Ferrari, 1938, p. 111 sgg. — Il decreto è una tarda falsificazione.

Exemplum extractum ex archivio patavino antequam palatium concremaretur. Anno nativitatis Christi 421, ultimo anno papæ Innocentii primi nativitate aponensis patris Innocentii, regno Pataviensium feliciter et copiose florente. Regentibus rem publicam Galiano de Fontana, Simone de Glanconibus et Antonio Calvo de Lovanis, consulibus, imperantibus Honorio cum Theodoxio, filio Arcadii, decretum est per consules et senatum Pataviensium ac electi primates popularium edificare urbem circa Rivum altum et gentes circumstantium insularum congregare ibidem, terram unam potius quam plures portualem habere, classem paratam tenere, exercere, maria perlustrare et, si casus bellorum accideret hostiumve potentia cogeret, securum illuc habere refugium. Et, visa Gottorum multitudine et insania, verebantur et recordabantur quod in anno Christi 413 ipsi Gotti cum rege eorum Alarico venerunt in Italiam et ipsam provinciam ferro et igne vastatam reliquerunt, et ad urbem processerunt spoliantes eandem. Unde Patavienses motum Got-

torum iam alias factum et qui eo tempore fiebat a parte australi et occidentali metuentes, anno predicto, scilicet 421, die XVI martii, decreverunt urbem portualem et refugialem construere circa hostia fluvii Rivi alti, ubi dicitur Rivus altus, quamque ex collectis multis insulis maris et lacunarum et gentibus de provincia Venetie fecerunt, et voluerunt Venetas appellare, et, missis illuc tribus consulibus, qui supererent per biennium dispositioni operis, die 25 martii principium fundamenti iactum fuit circa horam meridiei.

Nomina consulum missorum sunt hec, videlicet:

| | |
|---------------------|-------------------------|
| Aldebertus Faletrus | Consules missi anno 421 |
| Thomas Candianus | |
| Zeno Daulus | |
| Lucianus Gavila | Consules missi anno 423 |
| Maximus Lucius | |
| Ugo Fuscus | |

2. - 537-8. Cassiodorio, pref. del pret., ai Tribuni marittimi della Venezia.

FONTE: Cassiodorii M. A., *Epistulae variae*, l. XII, epist. 24.
EDIZ.: Monum. Germ. Hist., *Auct. Antiquis.*, vol. XII, p. 379 sg.

Tribunis maritimum Senator, praef. praet. Data pridem iussione censuimus, ut Histria vini et olei species, quarum praesenti anno copia indulta perfruitur, ad Ravennatem feliciter dirigeret mansionem. Sed vos, qui numerosa navitia in eius confinio possidetis, pari devotionis gratia providete, ut, quod illa parata est tradere, vos studeatis sub celeritate portare. Similis erit quippe utriusque gratia perfectionis, quando unum ex his dissociatum impleri non permittit effectum. Estote ergo promptissimi ad vicina, qui saepe spatia transmittitis infinita. Per hospitia quodammodo vestra discurritis, qui per

patriam navigatis. Accedit etiam commodis vestris, quod vobis alias iter aperitur perpetua securitate tranquillum. Nam, cum ventis saeuentibus mare fuerit clausum, via vobis panditur per amoenissima fluviorum. Carinae vestræ flatus asperos non pavescunt: terram cum summa felicitate contingunt et perire nesciunt, quae frequenter impingunt. Putantur eminus quasi per prata ferri, cum eorum contingit alveum non videri. Tractae funibus ambulant, quae stare rudentibus consuerunt, et, conditione mutata, pedibus iuvant homines naves suas: vectrices sine labore trahunt et pro pavore velorum utuntur passu prosperiore nautarum. Iuvat referre, quemadmodum habitationes vestras sitas esse prospexit. Venetiae praedicabiles, quondam plenae nobilibus, ab austro Ravennam Padumque contingunt, ab oriente iucunditate Jonij litoris perfruuntur, ubi alternus aestus egrediens modo claudit, modo aperit faciem reciproca inundatione camporum. Hic vobis aliquantulum aquatilium avium more domus est. Namque nunc terrestris, modo cernitur insularis, ut illic magis aestimes esse Cycladas, ubi subito locorum facies respicis immutatas. Earum quippe similitudine per aequora longe patentia domicilia videntur sparsa, quae natura non protulit, sed hominum cura fundavit. Viminiibus enim flexibilibus illigatis terrena illic soliditas aggregatur, et marino fluctui fragilis munitio non dubitatur opponi, scilicet quando vadousum litus moles eicere nescit undarum et sine viribus fertur, quod altitudinis auxilio non iuvatur. Habitatoribus igitur una copia est, ut solis piscibus expleantur. Paupertas ibi cum divitibus sub aequalitate convivit. Unus cibus omnes reficit, habitatio similis universa concludit. Nesciunt de penatibus invidere et sub hac mensura degentes evadunt vitium, cui mundum constat esse obnoxium. In salinis autem exercendis tota contentio est: pro aratis, pro falcibus cylindros volvit: inde vobis fructus omnis enascitur, quando in ipsis et quae non facitis possidetis. Moneta illic quodammodo percūtitur victualis. Arti vestræ omnis fluctus addictus est. Potest aurum aliquis minus quaerere; nemo est qui salem non desideret invenire, merito quando

isti debet omnis cibus, qui potest esse gratissimus. Proinde naves, quas more animalium vestris parietibus illigatis, diligenti cura reficite, ut, cum vos vir experientissimus Laurentius, qui ad procurandas species directus est, commonere temptaverit, festinetis excurrere, quatenus expensas necessarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aëris compendium vobis eligere potestis itineris.

3. — 574-78. Benedetto I papa sanziona la traslazione della sede aquileiese.

FONTI: cod. vat. urb. 440; cod. H. V. 44 del Sem. di Venezia; cod. Vat. 5269; cod. marc. lat. X, 141.

EDIZ.: *Cronicon gradense*, ed. Monticolo, in «Cronache venez. antichissime», nelle «Fonti della Stor. d'Italia dell'Ist. Stor. It.», Roma, 1890, p. 37 sgg.; *Origine civitatum Italiae seu Venet.*, ed. Cessi, in «Fonti cit.», p. 32. Cfr. ivi, p. 72 sg. e 161, 163. — Il precezzio pontificio è tarda falsificazione.

Beatus, dux Methamaucensium, cum quibusdam tribunis et nobilibus suis — quatinus Gradense castrum novam Aquileiam institueret et totius Venetiae et Histrie metropolim faceret — deprecabantur.

Idem sanctissimus Benedictus papa, motus nimia bonitatis clementia, dignis eorum condescendit precibus, convocatoque XXXVIII episcoporum concilio, Gradensem civitatem novam Aquilegiam constituens, ex collaudatione predictorum episcoporum et omnium sanctae Romanae ecclesiae cardinalium totius Venetiae et Histriae metropolim ordinavit, constituit et ita perpetuo esse voluit tempore, accersitoque duce et qui cum eo erant, «Per privilegii» inquit «praeceptum sanctae Romanae ecclesiae et collaudatione ac confirmatione omnium istorum fratribus tam episcoporum quam cardinalium totiusque Venetiae nec non et Histriae Gradensem ecclesiam metropolim vobis ordinamus. Eiusdem vero presulis electionem clero et populo liberam faciendi tribuimus facultatem. Prefatae preterea regionis Duci post factam electionem

investigionis potestatem committimus, qua ab ipso accepta, eiusdem suffraganeis consecrandi licenciam concedimus. Quibus expletis, ad sedem Romanam ad palii benedictionem suscipiendam properare iniungimus ».

4. — 579, novembre. *Fondazione e consacrazione della chiesa di S. Eufemia di Grado.*

I.

FONTE: Iscrizione nell'edicola a fianco della Chiesa di S. Eufemia.

EDIZ.: Paschini, *Storia del Friuli*, Udine, 1914, I, 94.

Servus Jhesu Christi Helias episcopus sanctae aquileiensis ecclesiae tibi serviens fecit.

II.

FONTI: Pavimento del Duomo (S. Eufemia di Grado). Cfr. le schede pironiane dell' Asquini e quelle del Kandler.

EDIZ.: Corpus inscriptiorum latinorum, to. V, 149 sgg., n. 1583—1616 (m.).

In forma asquiniana (f) :

1. — Atria, quae cernis vario formata decore,
Squalida (sub picto celatur marmore tellus)
Longa vetustatis senio fuscaverat aetas.
Prisca en cesserunt magno novitatis honori
Praesulis Heliae studio praestante beati.
Haec sunt tecta pio semper devota timori.

(f. 22; m. p. 149).

2. — Laurentius v. c. | palatinus vo|tum cum suis |
solvit et de do|num Dei fece|runt. p. DCC. (f. 23; m. 1592).

3. — Lautus. actoa|rius sanctae^s eccl.^s | aquil.^s cum
su|is vot. solvit | servus Christi | Lucinus Ro|mana Lu-
cia|nus et Lucia | fecerunt p. C. (f. 24; m. 1595).

4. — ευχαριστων | τω θεωκετη αγια ευφημια | υπερ παντος | του οικου μου | εποιησα πδ. ρ. (f. 25; m. 1615).
5. — Servus Christi | Laur..... | diac..... | votum solvit. (f. 21; m. 1594).
6. — Famuli scae | martyris | Eufemiae | Nonnus et Eu|sebia Petrus | et Iohannes | pro salute | sua et omnium | suorum ex v|ot. suo fr. p. C. (f. 20; m. 1600).
7. — Amara lect. | et Antonina | cum filiis suis | Haelia et Melli|ta votum solvent. (f. 9; m. 1583).
8. — Domnus Caligarius cum coniuge | sua Severa fece|runt pedes XV (f. 1; m. 1585),
9. — Probina cum | filio suo | Thomate | notario votum solvent. (f. 2; m. 1604).
10. — Stefanus | naucler | cum suis | votu sol. (f. 3; m. 1606).
11. — Marcus Bibulus cum fratri|bus suis votum | solverunt. (f. 19; m. 1596).
12. — Murgio | lector | et Bona | cum filiis | suis feceru | pedes X. (f. 18; m. 1599).
13. — Iohannis | milis . de nu|mero . equit | perso . Ius|tiniani . vo|tum . solvit. (f. 17; m. 1591).
14. — Concordi|us et Nitia|na cum su|is fr. p. XXV. (f. 4; m. 1584),
15. — In nomine | domini | tertius vo|tun solvit. (f. 5,8; m. 1608).
16. — Vitales | et Vale|rianus | cum suis | fr. p. XXXV, not. (f. 6,13; m. 1612).
17. — Paulus not. | et Diugenia | cum suis | votum solvent. (f. 7; m. 1601).
18. — Petrus | notarius | votum | solvit. (f. 10; m. 1602).
19. — Gazeus Diaco|nus cum matre | sua Bona vot. | solvit (f. 14; m. 1587).
20. — Iohannis | mil. de num. | cadisiano | cum uxore | sua Severina | fecer. p. XXV. (f. 15; m. 1590).
21. — Iohannis | lect. | cum | matre sua | Agneta | f. p. XXV. (e. 16; m. 1589).

22. — Domini|cus notarius | cum suis vo|tum solvet.
f. 11; m. 1586).

23. — CCCCCC | LXXX | IV. (*f. 12; m. 1616*).

Extra formam :

- a* — Guderit | cum | suis fecit | pedes | XXV. (*m. 1588*).
b — Laurentius mi|lis de numero|tarvisiano et | filius .
dom|ni fecit p. XXV. (*m. 1593*).
c. — + Martinus | *notarius votu. sol|bit.* (*m. 1597*).
d. — Maximus | nauclerus | votum solbit. (*m. 1598*).
e. — Victorinus | lect. filius *cum* | Antonino *et suis*
vo|tum. solvit. (*m. 1611*).
f. — Ursus et | Aureliana | votum | solvent. (*m. 1613*).
g. — + Zimarcus | primicerius | noritarum | b. r. II
vo|tum solbit. (*m. 1614*).

In sacristia :

1. — Valerianus | et Valeria *fil.* | cum Decentiana |
vot. solb. (*m. 1609*).
2. — . . . et Valeriana | cum Eugenia | votum sol-
bunt. (*m. 1610*).

5. — 579, 20 aprile. *Pelagio II conferma*
Grado metropoli della Venezia e Istria.

(In *Acta sinodi gradensis*; vide sub. n. 6).

6. — 579, 3 novembre. *Sinodo di Grado.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, *Liber Pact.*, I, c. 54: cod. vat. urb. 440; cod. barb., XI, 145, già 247; cod. vatic. 3922; cod. marc. Zanetti lat. 400, c. 40 sg.; cod. della bibl. naz. di Torino, I, iv, 7; cod. marc. lat. XIV, 74, c. 274 sg.; 77, c. 127.

EDIZ: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 34; *Cronica de singulis patriarchis nove Aquileie*, ediz. Monticolo, in «Cronache veneziane antichissime», nelle «Fonti della Storia d' Italia dell' Istituto Storico Italiano», Roma, 1890, p. 7; Ioh. Diac., *Chronicon*, ivi, p. 70; Cessi, «Nova A-

quileia», in «Atti del R. Ist. Ven. di S. L. e A.», to. LXXXVIII, p. II, p. 588 sgg.; Dandolo, *Cronica per extensum edita*, ediz. Pastorello, in «Muratori, Rerum, Ital. Script.», T. XII, p. I, nuova edizione, Città di Castello, p. 81 sgg.

L'autenticità degli Atti della Sinodo gradense del 579, 3 novembre fu alternativamente oggetto di strenua difesa e con altrettanto vigore impugnata. Cfr. la bibliografia, in KEHR, *Italia pontificia*, VII, 1, 8 sgg., e *Rom und Venedig bis ins XII Jahrhundert*, in «Forsch. u. Quellen aus. ital. Bibl. und Arch.», vol. XIX. L'autenticità fondamentale degli Atti non si può negare; ma non si può escludere che siano stati fortemente contaminati. Le contaminazioni sono state eseguite in tre momenti successivi: 1) nel 827, in occasione della sinodo di Mantova; 2) nel 1024, in occasione della sinodo romana; 3) nel 1053 (Cfr. CESSI, «*Nova Aquileia*» cit., p. 543 sg.).

ACTA SYNODUS GRADENSIS (*)

In nomine domini nostri Jesu Christi summi eterni Dei nostri, imperante domino serenissimo Tiberio Constantino Augusto, anno imperii eius quinto, eodem consule, sub die III nonarum novembrium, inductione XIII. Cum in castro Gradensi ac plebe sua (1) Helias episcopus sanctae Aquilleiensis ecclesiae (2) una cum Marciano, Leoniano, Petro, Vindemio, Virgilio, Ioanne, Clarissimo, Patricio et reliquis episcopis et sacerdotibus, quorum nomina subscriptiones propriae manifestant, in concilium convenissent et in nova basilica sanctae venerabilis martyris Euphemiae consedissent, sedentibus quoque presbyteris plurimis, astantibus diaconibus, propositis in medio sacrosanctis ecclesiae evangeliis (3), Helias, primae sedis episcopus, dixit:

(*) Indico con A i brani di prima contaminazione, B quelli appartenenti alla seconda, C quelli di interpolazione coeva alla seconda contaminazione, D quelli di ultima interpolazione.

(1) B: — in civitate Gradensi.

(2) D: — sanctae eiusdem novae Aquileiensis ecclesiae.

(3) A B

Helias, primae sedis episcopus, dixit: «Karissimi fratres, intervenientibus malis nostris cotidie hostile perpetimur flagellum; et jam pridem ab Attila, Unno-

Helias, primae sedis episcopus, dixit: «Ineffabilia sunt opera domini nostri Jhesu Christi, quibus misericordi benignitate fragilitatem nostram frequentare di-

« Si vestrae beatitudini placet, recitentur etiam necessariae causae ad ecclesiae statum pertinentes, pro quibus vestram unanimem sanctitatem ad nos usque similiter fatigari rogitavimus. Sed, ut magis dispositionum nostra-

rum rege, Aquileia civitas nostra funditus destruta est, et postea, Gothorum incessu et ceterorum barbarorum quassata, vix aspirans, sed et nunc Langobardorum nefandae gentis flagella sustinere non potest. Quapropter dignum dicit mansuetudo nostra, si vestrae placet sanctitati, in hoc castro Gradensi nostram confirmare metropolim ».

Sancta synodus dixit: « Quae vestra proposuit beatitudo, omnes pari assensu confirmamus ».

dominus noster, supra quem credidimus et speravimus, praestitit ut vestra nunc praesentia perfruamur, dignum ergo, carissimi fratres, mansuetudo nostra dicit, ex consensu beatissimi apostolicae sedis papae Pelagii, cui jam ante communis nostram intuitu descripsimus necessitatem, si sanctitati vestrae placet hanc civitatem Gradensem nostram perpetuo confirmare metropolim novamque eam vocare Aquilegiam (*D*), quoniam, ut praelibavimus, intervenientibus malis nostris quotidie hostile perpetuum flagellum. Jam pridem ab Athila, Hunnorum rege, Aquilegia civitas nostra funditus est destruta, et postea, Gothorum incessu et ceterorum barbarorum quassata, vix aspirat, sed etiam nunc Langobardorum nefandae gentis flagella sustinere non valens.

Sancta synodus dixit: « Quae vestra proposuit beatitudo, omnes pari confirmamus assensu »;

« Si vestrae sanctitati placet, beatissimi papae Pelagii privilegium pro hac intentione ad ipso transmissum in medio recitandum deferratur ».

Laurentius presbyter, legatus apostolicae sedis, repreäsentavit privilegium, quod suscipiens Epiphanius, notarius, in medio stanes, recitavit; « Pelagius, urbis Romae episcopus, Heliae, Aquileensi patriarchae etc. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere et poscentium animis ob hac re devotione impartire consensum. Ex hoc enim lucri potissimum a conditore omnium proculdubio promerebimur, si venerabilia loca, opportuno transmutata tempore, nostro fuerint studio ad meliorem sine dubio statum producta. Igitur, quia petisti a nobis per missa

gnatur, sanctissimi fratres. Nam inter angores, quibus ecclesia Domini circumquaque depressa spirat, et gentium ferocissimas clades, quae miserae provinciae nostrae reliquias quatere ac devastare non cessant, fateor me non praeter spem, sed, velut verius dixerim, supra spem meam ad hunc venerabilem coetum vestram invitasse sanctissimam caritatem. Angebar enim, ne quid undecumque votis communibus obstitisset. Verum quia, ut praefatus sum,

Jhesus Christus, verus Deus ac

gnatur, sanctissimi fratres. Nam

rum (1) rite constet ordiri primordia, recitetur, Deo gubernante, nobis primum fides sanctorum patrum, quae cunctis actionibus nostris deinceps securus velut immobile fundamentum existat » (2).

Sancta synodus respondit: « Justissimum est recitari, quod utilime provenit audiri ».

Epiphanius, notarius, ex codice synodali recitavit: « Sancta, magna et universalis synodus, quae secundum Dei gratiam et sanctionem piissimorum christianissimorum imperatorum nostrorum Valentiniani et Marciani congregata est apud Calcedonam, metropolim Bythiniae provinciae, in atrio sanctae et venerabilis Euphemiae, definivit subter annexa. Dominus noster et salvator Christus,

tuae venerandae fraternitatis brevia, consentientibus in eis suffraganeis tibi episcopis, quatenus Gradense castrum totius Venetiae fieri et Istriae (C) metropolim ad regendam scilicet ecclesiam atque cum Dei timore dispensandam, emissâ praeceptione, concedere deberemus; quapropter, vestri compatiens moeroris necessitudini, imo etiam rabiem furentium perpendentes Langobardorum, inclinati precibus vestris, per huius praecepti seriem suprasciptum castrum Gradense tocius Venetiae fieri cum omnibus vestrae ecclesiae pertinentibus etiam Istriae (C) metropolim perpetuo confirmamus. Statuentes quapropter apostolica auctoritate sub interminatio ne futuri judicii nulli licere nostrorum successorum vel alii cuilibet haec, quae a nobis intencione decreta sunt pia, in quoquam destruere aut convellere, quae potius firma stabilitate inconvulsâ manere difinimus aut sub anathematis vinculo perpetuis temporibus observanda. Quam ob rem hortor te semper relevare oppressos, semper corripere inquietos, ut zizania dominicam non possit soffocare messem. Gratia domini nostri Jhesu Christi et omnis caritas Dei sit semper vobiscum. — Data XII kal. maii, imperante Tiberio II. C. Augusto ».

Quo perfecto, universi episcopi voce comparvi: « Exaudi, Christe, Pelagio vitam: omnes uno consensu sanctissimi Pelagi praeceptionem et vestram sequimur confirmantes sententiam. Observandam enim ex apostolica auctoritate decernimus hanc Gradensem civitatem vestram metropolim perpetuis temporibus esse. Quicumque vero confirmationis hoc nostrae violare decretum praesumpserit, sit anathema ». Sancta synodus tertio affirmavit: « Fiat, fiat, fiat ».

(1) *B*: determinata jam sedis huius questione, rite etc.

(2) *Dopo existat glossa marginale: de fide catholica sanctorum patrum.*

noticiam fidei confirmans, discipulis suis ait: « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, ne ullus a proximo suo dissonam doctrinam pietatis ostendat ». Quoniam vero non quiescit nequissimus suam zizaniam inspargere, novi aliquid contra veritatem semper inveniens, ob hoc consuete Dominus noster providens humano generi, piissimum et fidelissimum principem ad zelum fidei suscitavit. Qui undique sacerdotum principem ad se convocavit, quatenus, gratia Domini feliciter impetrata, ab omnibus Christi dogma quidem mendaciis submoveret, germen autem pietatis et veritatis pingue efficeret. Quod quidem et fecimus communi decreto dogmatum fugantes errorem, integrum vero patrum revocantes fidem, CCCXVIII patrum symbolum praedicantes et tamquam domesticos; quod pietatis huius compositionem receperunt patres ascribentes. Qui postea apud Constantinopolim conveinerunt CL, qui et ipsi eandem fidem subsignaverunt. Deffinimus igitur ordinem et omnes formam fidei conservamus nos quoque. Apud Ephesum olim facta est sancta synodus, cuius presules fuerunt sanctae memoriae Celestinus, Romanae urbis antistes, et Cyrillus, Alexandriae ecclesiae presul. Egere quidem rectae et immaculatae fidei expositionem CCCXVIII patrum apud Niceam simul cum piae recordationis Constantino principe congregatorum; obtinuere autem etiam CL sanctorum patrum apud Constantinopolim definitam, ad interemptionem tunc exortarum haeresum, confirmationem vero eiusdem catholicae nostrae fidei apud Niceam CCCXVIII patrum: « Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in unum dominum Jhesum Christum, filium Dei unigenitum, qui natus est ex Patre ante omnia saecula, Deum verum de Deo vero genitum, non factum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit et incarnatus est, atque humanatus est, et passus est, et resurrexit tertia die, et ascendit in coelum, venturus judicare vivos et mortuos, et in Spiritum Sanctum ». Eos autem, qui dicunt: « Erat aliquando, quando

non erat, et prius quam nasceretur, non erat », et quia exinde extantibus factum est, aut ex alia subsistentia dicentes esse, aut convertibilem, aut mutabilem filium Dei, hos anathematiçat catholica et apostolica Dei ecclesia ».

Helias, sanctae ecclesiae Aquileiensis episcopus, his gestis subscrispsi (1).

Marcianus, episcopus sanctae ecclesiae Opiterginae, his gestis subscrispsi.

Leonianus, episcopus sanctae ecclesiae Tyborniensis, his gestis subscrispsi.

Petrus, episcopus sanctae ecclesiae Altinatis, his gentis subscrispsi.

Vindemius, episcopus sanctae ecclesiae Cesaensis, his gestis subscrispsi.

Virgilius, episcopus sanctae ecclesiae Patavinae, his gestis subscrispsi.

Johannes, episcopus sanctae ecclesiae Celejanae, his gestis subscrispsi.

Clarissimus, episcopus sanctae ecclesiae Concordiensis, his gestis subscrispsi.

Patricius, episcopus sanctae ecclesiae Aemoniensis, his gestis subscrispsi.

Adrianus, episcopus sanctae ecclesiae Polensis, his gestis subscrispsi.

Maxentius, episcopus sanctae ecclesiae Juliensis, his gestis subscrispsi.

Severus, episcopus sanctae ecclesiae Tergestinae, his gestis subscrispsi.

Solatius, episcopus sanctae ecclesiae Veronensis, his gestis subscrispsi.

Johannes, episcopus sanctae ecclesiae Parentinae, his gestis subscrispsi.

Aaron, episcopus sanctae ecclesiae Avociensis, his gestis subscrispsi.

(1) *Come secondo firmatario in B: Laurentius, presbiter, apostolicae sedis legatus, his gestis subscrispsi.*

Marcianus, presbyter, locum faciens viri beatissimi Ingenuini episcopi sanctae ecclesiae secundae Rhetiae, his gestis subscripti.

Agnellus, episcopus sanctae ecclesiae Tridentinae, his gestis subscripti.

Virgilius, episcopus sanctae ecclesiae Scaravaciensi, his gestis subscripti.

Laurentius, presbyter, superveniens in sancta synodo, locum faciens viri beatissimi Fontei, episcopi sanctae ecclesiae Feltrinae, his gestis mihi relectis subscripti.

Marcianus, episcopus sanctae ecclesiae Petenatis, superveniens in sancta synodo, his gestis mihi relectis subscripti.

Laurentius, presbyter, super statutis Deo gratias agens subscripti.

Emerius, presbyter, super statutis Deo gratias agens subscripti.

Sergius, presbyter, super statutis Deo gratias agens subscripti.

Dorotheus, presbyter, super statutis Deo gratias agens subscripti.

Laurentius, presbyter, super statutis Deo gratias agens subscripti.

Albinus, presbyter, super statutis gratias Deo agens subscripti.

Leo, presbyter, super statutis gratias Deo agens subscripti.

Marcianus, presbyter, super statutis gratias Deo agens subscripti.

Sevancinus, presbyter, super statutis gratias Deo agens subscripti.

Lucillus, presbyter, super statutis gratias Deo agens subscripti.

Castus, presbiter, super statutis gratias Deo agens subscripti.

Provincialis, presbiter, super statutis Deo gratias agens subscripti.

7. — 590-591, ante gennaio. *Gregorio I papa a Severo, vescovo di Aquileia.*

FONTE: Beati Gregorii papae epistulae ex registro, I, 166.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., Epist., I, 16.

Gregorius Severo episcopo Aquileiensi. — Sicut gradientem per avia, carpentem denuo rectum tramitem, tota Dominus aviditate complectitur, ita demum de deserente cognitam veritatis viam maiori merore quam gaudio, quo de convertente laetatus fuerat, contristatur; quia minoris excessus est veritatem non cognoscere, quam in eadem agnita non manere. Aliudque est quod ab errante committitur, aliud quod per scientiam perpetratur. Et nos siquidem, quantum reincorporatum te iam pridem fuisse in unitatem Ecclesiae gravisi fueramus, abundantius nunc dissociatum a catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore praesentium iuxta christianissimi et serenissimi rerum domini iussione ad beati Petri apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, ut, auctore Deo, aggregata synodo, de ea, quae inter vos vertitur, dubietate iudicetur.

8. — 590-91, ante gennaio. *Suggerio episcoporum aquileiensium ad Mauritium imper.* (Atti della sinodo di Marano).

FONTI: Baronii, *Annales eccl.*, ad. a. 590, n. XXVIII; Harduni, *Acta Conciliorum*, III, 524 (dal perduto codice parigino).
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., Epist., I, 17 sgg.

Suggerendum domino nostro clementissimo ac piissimo domino Mauricio Tiberio humiles Venetiarum vel secundae Retiae Ingenuinus, Maxentius, Agnellus, Fonteius, Laurentius, Agnellus, Felix, Augustus, Iunior et Horontius episcopi.

Pietatis vestrae est, clementissime dominator, preces humilium sacerdotum imperiali dignatione suscipere, quod

etiam supplices deprecamur per dominum Deum nostrum Jesum Christum, salvatorem omnium, per fidem catholicam et regnum, quod meruistis a Deo concessum, atque salutem dominorum filiorum vestrorum, quibus perpetuum imperium Deo gubernante permanet, ut aditum inveniat supplicatio nostra apud pias aures vestras, et cum fiducia recurrentes ad principalia remedia, mereamur, quae petimus impetrare. Nam, etsi nos peccata nostra ad tempus gravissimo iugo gentium summiserunt, auxiliante nobis Domino, nullo pondere pressurarum ab integritate catholicae fidei invenimur ullo modo titubare. Deinde nec oblii sumus sanctam rem publicam vestram, sub qua olim quieti viximus et, andiuante Domino, redire totis viribus festinamus. Suggerimus etenim, domine piissime princeps, scandalum ecclesiae, quod tempore divae memoriae Justiniani, principis totius mundi, ecclesias conturbavit, nostrarum quoque provinciarum partibus ex tunc iam esse compertum, damnationem scilicet trium capitulorum, id est epistolae venerabilis Ibae, episcopi Edesseneae civitatis, personae quoque Theodori Mopsuestiae episcopi, atque scriptorum Theodoriti, episcopi Cyri, quae in sancta synodo Chalcedonensi recepta sunt, et Vigilio, tunc Romano praesuli, atque omnibus pene sacerdotibus damnatio ipsa, sicut revera contraria sancto Chalcedonensi concilio, execrabilis noscitur extitisse. Qui etiam Vigilius scripta sua per omnes provincias mittens, anathematis vinculis omnem populum obligavit, si quis damnationi trium capitulorum praeberet aliquando consensum. Et licet postea imperiali pondere ad consensum damnationis capitulorum ipsorum paulatim singuli tunc fuerint coarctati, nostrarum tamen provinciarum venerandi decessores, quibus indigni successimus, praedicti quondam Vigilius instructionibus informati, ad hoc inclinare nullo modo potuerunt. Quorum nos exempla, Deo propitiante, servantes cum universo populo nobis credito, sequentes etiam in omnibus definitionem sancti Chalcedonensis concilii, defensioni capitulorum ipsorum et reverentiam exhibemus, et a communione damnantium cum divina gratia abstinere dinoscimur. Et dum Smaragdus, gloriosus

chartularius, patrem nostrum sanctae memoriae Heliam, archiepiscopum Aquileiensis ecclesiae, pro causa ipsa pluribus vicibus contristaret, cum nostro omnium consilio atque consensu direxit ad pia vestigia principatus vestri preces, supplicans ut, exspectata Dei misericordia, revocatis omnibus consacerdotibus synodi nostrae in potestatem sanctae rei publicae, ad vestrae clementiae praesentiam veniretur, et yestrum in causa ipsa exspectaretur iudicium. Quod pietas vestrae mansuetudinis ad mercedem et laudem imperii sui clementi dignatione suscipiens, iussionem suam dedit ad praedictum gloriosum Smaragdum, ut nullatenus quemquam sacerdotum pro causa communionis inquietare praesumeret, sed, Dei misericordia operante, sustineretur, quoisque, compressis gentibus, ad libertatem omnes sacerdotes concilii sub sancta re publica pervenirent. Deinde defunctus est memoratus archiepiscopus noster Helias.

Nos vero pro impretratis precibus eiusdem cum omnibus populis nostris ardentibus devotiores effecti, si fieri potuisset, eisdem diebus ad vestra certabamus redire vestigia, et gratias Deo retulimus, et pro vita imperii vestri, sicut ipse novit Dominus, assidas preces eius obtulimus maiestati. Post hoc, ordinato in sancta Aquileiensi ecclesia beatissimo archiepiscopo nostro Severo, quae contumeliae illatae sint, et quibus iniuriis ac caede corporali fustum, et qua violentia ad Ravennatem fuerit civitatem perductus atque redactus in custodia, quibusque necessitatibus oppressus atque contritus fuerit, potuit ad domini nostri pias aures sine dubio pervenire. Nos autem tam inauditis calamitatibus patrem et archiepiscopum nostrum, quod nunquam sub christianis principibus factum dinoscitur, cognoscentes afflictum, insanabilem dolorum sumus stimulis vulnerati. Nam in hoc tempore iterum cognovimus reverendum papam Gregorium ad eiusdem patris nostri exhibitionem misisse cum sacratissima vestrae pietatis iussione, ut pro causa ipsa communionis ad Romanam deberet civitatem deduci. Quod audientes, quamvis certi essemus, talem iussionem domini nostri specialiter adversariorum improba importunitate subreptam, conta-

buimus, et contriti atque luctu gravissimo sauciati, ad ultimam desperationem pervenimus, ut ad illius iudicium metropolita noster cogeretur occurtere, cum quo causa ipsa esse dinoscitur et cuius communionem ab initio motionis causae huius usque nunc decessores nostri et nos cum omni populo evitamus. Et quidem memoratum beatissimum archiepiscopum nostrum frequenti contestatione convenimus, ne, nobis absentibus et a se ad praesens divisis, de communica causa ecclesiae aliquid audeat definire, quoniam, piissime domine, sic accensi sunt omnes homines plebium nostrarum in causa ista, ut ante mortem perpeti, quam ab antiqua catholica patientur communione divelli.

Revera, clementissime dominator, fidem catholicam conservantes et Chalcedonensis concilii definitiones in omnibus venerantes, ut quibuslibet occasionibus contingenientur, nec Deo, nec vestrae pietati placere credendum est. Ergo, mitissime dominator, totius concilii nostrae partitatis haec est deliberatio, sicut et eidem patri et archiepiscopo nostro scripsimus, ut pro reddenda ratione communionis nostrae, contrito, Dei iudicio, iugo barbarico, opportuno tempore ad vestrae pietatis vestigia occurramus, habentes prae oculis exempla fidelia, quibus edocti sumus, cum omnes intentiones sopitae sunt. Sic Theodosii senioris Constantinopolitana synodus, Deo propitiante, sedatis est scandalis confirmata; sic deinde Ephesina prima synodus, divae memoriae Theodosio iuniore disponente, bene noscitur definita; sic ad postremum praesentia Marciani divi principis, abscissis omnibus scandalis, pax catholica in Chalcedonensi concilio reformata est. Nam per absentiam christianissimorum principum in Ephesina secunda episcoporum congregazione a Dioscoro Alexandrino Flavianus, sanctissimus regiae vestrae urbis episcopus, veritatem catholicae fidei defendens occisus est, aliquique episcopi assertores orthodoxae fidei in custodia (*B.: jniuste*) deiecti sunt, et scandalum ecclesiae pessimum generatum est, quod cum magno labore posteas divae memoriae Marcianus imperator, avus vestrae pietatis, sua praesentia in sancto Chalcedonensi concilio amputans, catholicam pacem universalis ecclesiae restauravit.

Hoc tantum prostrati deposcimus, ut, quia, misericordia Dei circa sanctam rem publicam operante, in meliori statu Italiae partes, laborante fideliter glorioso Romano patricio, dignanter perduxit, et credimus nos celeriter, devictis gentibus, ad pristinam libertatem reduci, cessen violentia militaris, quam vestro felicissimo tempore Deus fieri non permittat, sint induciae, et cum iussione sacra-tissimi imperii vestri parati erimus ad pedes vestrae pietatis occurrere, et nostrae fidei atque communionis plenam reddere rationem. Nam, cum quo nobis ipsa causa est, et quem in communione vitamus, iudicem experiri non possumus. Quod etiam sacratissimis legibus vestris statutum est, nullum posse iudicem esse in causa, qua adversarius comprobatur. Sed, sicut semper Deus praesentia christianorum principum intentiones ecclesiasticas sedare dignatur, hoc et nunc fieri supplicamus. Etenim, si aliter, clementissime domine, actum fuerit, ut archiepiscopum nostrum, quod absit, ad Romanam contingat violenter exhiberi ecclesiam, spes iam nulla erit conservandae iustitiae, sed tantum pondus gravissimae violentiae.

Suggerimus etenim, pie dominator, quia tempore ordinationis nostrae unusquisque sacerdos in sancta sede Aquileiensi cautionem scriptis emittimus studiose de fide ordinatoris nostri, nos fidem integrarum sanctae rei publicae servatuos. Quod ipse novit Dominus nos fideliter toto corde et servasse, et huc usque iugiter conservare. Si conturbatio ista et compulsio praesentibus iussionibus vestris remota non fuerit, si quem de nobis, qui nunc esse videmur, defungi contigerit, nullus plebium nostrorum ad ordinationem Aquileiensis ecclesiae post hoc patietur accedere, sed quia Galliarum archiepiscopi vicini sunt, ad ipsorum sine dubio ordinationem accurrent, et dissolvetur metropolitana Aquileiensis ecclesia sub vestro imperio constituta, per quam, Deo propitio, ecclesias in gentibus possidetis, quod ante annos iam fieri cooperat, et in tribus ecclesiis nostri concilii, id est Beconensi, Tiburniensi, et Augustana Galliarum episcopi constituerant sacerdotes. Et nisi eiusdem tunc divae memoriae Justinianni principis iussione commotio partium nostrarum re-

mota fuisse, pro nostris iniquitatibus pene omnes ecclesias ad Aquileiensem synodum pertinentes Galliarum sacerdotes pervaserant. Ergo, domine pie, quia semper piissimorum principum fides pro tranquillitate ecclesiae vigilavit, et hoc studio, repensante Deo, contrariae gentes divina manu compressae sunt, mereamur nos humillimi sacerdotes supplicationis nostrae sortiri effectum. Nam, qui aliter pio domino nostro subrepere cupiunt, nec Dei iudicium habent pree oculis, nec utilitatem sanctae rei publicae vestrae, seu opinionem pii imperii, quam lacerari non metuant de murmuratione totius populi partium istarum, qui persecutionem evidenter christianis fieri suspicantur. Praesentem igitur supplicem relationem confidenter direximus, quam pia clementia dignetur placida aure recipere, ut effectum nostrae supplicationis, Deo vobis aspirante, sortiri pro quiete matris nostrae Aquileiensis ecclesiae sacratissimis iussionibus reveletur, et pro incolumentate domini nostri ac dominorum filiorum vestrorum domino Deo nostro iugiter supplicamus.

Et subscriptio :

Ingenuinus, episcopus sanctae ecclesiae Sabionensis, hanc relationem a nobis factam subscripsi.

Maxentius, episcopus sanctae ecclesiae Juliensis, ut supra.

Laurentius, episcopus sanctae catholicae ecclesiae Bellunatae, ut supra.

Augustus, episcopus sanctae catholicae Concordiensis ecclesiae, ut supra.

Agnellus, episcopus sanctae Treientinae ecclesiae, ut supra.

Agnellus, episcopus sanctae Accelinae ecclesiae, ut supra.

Junior, episcopus sanctae ecclesiae catholicae Veronensis, ut supra.

Fonteius, episcopus sanctae Feltrinae ecclesiae, ut supra.

Felix, episcopus sanctae Tervisianae ecclesiae, ut supra.

Horontius, episcopus sanctae catholicae ecclesiae Vetetinae, ut supra.

9. — 591. *Maurizio imperatore a papa Gregorio I.*

FONTI: Baronii, *Annales eccles.*, ad a. 590, n. XXVIII; Harduini, *Acta conciliorum*, III, 527 (dal perduto codice parigino).

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, I, 21 sgg.

In nomine Domini Dei Nostri Jesu Christi. Imperator Caesar Flavius Mauricius Tiberius, fidelis in Christo, pacificus, mansuetus, maximus, beneficus, alamannicus, Gregorio viro sanctissimo et beatissimo, archiepiscopo almae urbis Romae ac patriarchae.

Mansuetam a Deo placitam vestram sanctitatem scientes, et quod recte catholicae nostrae ecclesiae dogmatum omnibus doctrinam exercetis, scire vos volumus quod episcopi Istriensium provinciarum per clericos aliquos ad nos directos suggestiones nobis transmiserunt, unam episcoporum civitatum et castrorum, quos Longobardi teneri dinoscuntur, aliam Severi, Aquileiensis episcopi, aliorumque episcoporum, qui cum illo sunt, et tertiam solius eiusdem Severi. In quibus omnes dixerunt tuam beatitudinem milites ad illos transmisse cum uno tribuno et excubitore, necessitatem imponentes praefato reverentissimo Severo et testibus episcopis, ut ad tuam beatitudinem perveniant propter diversam voluntatem, quam habent, ad sacra et catholica dogmata sacrosanctae nostrae ecclesiae. Et supplicaverunt nos inducias ad hoc sibi fieri et nullam eis interim necessitatem imponi ad vestram sanctitatem pervenire, dicentes quod tempore opportuno ad hanc sacratissimam urbem accedentes per seipsos suggerere nobis habent, quae sibi obstarre videntur. Quia igitur et tua sanctitas cognoscit praesentem rerum Italicarum confusionem et quod oportet temporibus competenter versari, iubemus tuam sanctitatem nullam molestiam eisdem episcopis inferre, sed concedere eos otiosos esse, quoisque per providentiam Dei et partes Italiae paccaliter constituantur et ceteri episcopi Istriae seu Venetiarum iterum ad pristinum ordinem redigantur. Tunc enim perfectius omnia pro pace et diversitate dogmatis cum antecedentibus tuis (*B.: suis*) orationibus corrigentur.

Et subscriptio: Divinitas te servet per multis annos, sanctissime ac beatissime pater.

10. — 592, luglio. *Gregorio I a Giovanni, vescovo di Ravenna.*

FONTE: Beati Gregorii papae epistulae ex registro, II, 45.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, I, 144.

Gregorius Iohanni episcopo Ravennae.

De causa vero episcoporum Histriae omnia, quae mihi vestra fraternitas scripsit, ita esse iam ante deprehendi in his iussionibus, quae ad me a piissimis principibus venerunt, quatenus me interim ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro his, quae scripsistis, zelo atque ardori vestro valde congaudeo, debitoremque me vobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen, quia de eadem re serenissimis dominis cum summo zelo et libertate rescribere non cessabo. Movere autem vos non debet praefati excellentissimi viri Romani patricii animositas, quia nos, quantum eum loco et ordine praeimus, tantum, si qua sunt, eius levia tolerare mature et graviter debemus.

De hoc vero quod dicitis incensae civitati Severi scismatici elemosynam esse mittendam, idcirco ita vestra fraternitas sentit, quia, quae contra nos praemia in palatio mittat, ignorat. Quae, etsi non trasmitteret nobis, considerandum fuit, quia misericordia prius fidelibus ac post est ecclesiae hostibus facienda. Iuxta quippe est civitas Fanum, in qua multi captivati sunt etc.

11. — 603, giugno. *Gregorio I all' esarcato Smaragdo.*

FONTE: Beati Gregorii I papae epistulae ex registro, XIII, 36.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, II, 398 sgg.

Gregorius Smaragdo patricio et exharco.

Olim novimus, excellentissime fili, quo desiderio, quave concursione animi pro adunanda Dei ecclesia, in Histriae videlicet partibus, zelo Redemptoris nostri amore mercedis studii vestri fervor extiterit. Quod cum ita sit, ea, quae nobis de illis nuper sunt partibus nuntiata, ad vestram non destitimus perferre notitiam. Firminus siquidem, frater et coepiscopus noster, Tergestinae antistes ecclesiae, ante adventum vestrae excellentiae salubri consilio ab schismate, quo inhaeserat, resipiscens, atque ad unitatem matris ecclesiae rediens, nostris est epistolis confirmatus, quatenus in veræ, quod agnoverat, sinum matris ecclesiae fortitudine animi fixus ac stabilis permaneret. Quo audito, Severus, Gradensis episcopus, eiusdem caput scismatis cum diversis primum coepit, si posset, suasionibus a bono revocare proposito. Quod dum perficere, auctore Deo, minime valuisset, seditionem illi suorum civium excitare non timuit. Quanta vero praedictus frater et coepiscopus noster Firminus ex eadem inmissione pertulerit, plenius illic ac veracius e vicino poteritis agnoscere. Directis itaque excellentiae vestrae iussionibus his, qui in Histriae partibus locum vestrum agere, Deo auctore, noscuntur, districtius jubetote, quatenus et saepedictum fratrem nostrum ab inlatiis debeant defensare molestiis et quietem illius multis ad imitandum profuturam modis omnibus procurare, ut haec vestra provisio et conversorum sit optata securitas, et occasio apta sequentium. Excellentiam quapropter vestram paterno salutantes affectu petimus, ut zeli vestri in hac causa olim exhibiti nunc vehementius fervor incandeat tantoque vos contra se, hostes Dei, vindices defensoresque repperiant, quanto apud Deum pretiosior est animae quam defensio corporalis. Armet vos contra devios ipsa, quae in vobis viget, fidei rectitudo, redintegretur vestris temporibus, quod in illis est partibus scissum, corpus ecclesiae. Habetis in hac causa retributorem vestri operis, rectitudinis ac integratatis auctorem. De divina namque miseratione confidimus, quod tanto extiores hostes nostri valentiores vos contra se repperient, quanto vos ini-

mici rectae fidei divino in se senserint amore terribiles.

12. — 605-07. *Il vescovo Giovanni a Re Agilulfo* (1).

(Excerpta in *Acta sinodus mantuanae*, a. 827, iun., VI; vide sub n. 50).

13. — 628, 18 febbraio. *Onorio I ai vescovi della Venezia e Istria.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 2, n. 2; cod. lat. Zanetti, n. 400, c. 47; cod. naz. Torino, I, iv, 7; cod. marc. cl. X, 37, c. 150.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 695; Dandolo, *Cronica*, ed. cit., p. 99.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis fratribus universis episcopis per Venetiam et Istriam constitutis.

Quidquid ad ea, quae per clericos Gradensis ecclesiae nobis scripta sunt, fraternitati vestrae censuimus respondendum, quibus prius interdictionis canonicae aculeis Fortunatum olim sacerdotio exuendum decrevimus et feriendum, et nunc, iterato paginalis auctoritatis decreto, eius perfidiam innondantes damnamus. Oportuit igitur fraternitatem vestram ea ipsa nobiscum sentire et gratias Deo omnipotenti peragere, quia lupum ovili pelle fucatum e medio gregis Dei iuxta perfidiam sui meriti in precipitum erroris abiecit, quatenus ne is, qui, diu seviens subinducta hypocrisi, videbatur occulte medulitus latitare, in baratum sue cecitatis corruens latere potuisset et gregem Dei, sicut antea, dente perfido sauciare. Gaudendum

(1) Nella *Cron. de sing. patr.* (ed. cit., p. 9 sg.): tamen postea per epistolam domni Bonifacii papae urbis Romae sub eandem metropolim Gradensem se subiugaverunt. (cfr *Chronic. grad.* cit., ivi p. 50).

est igitur et vehementer letandum, quia unius ruina omnium sunt aedificata ac restaurata constantis fidei documenta.

Suademos itaque et decretales apices fraternitati vestrae dirigimus, per quos expetimus, ut in loco Iudae alius vitae probabilis ad regendum gregem dominicum promoveatur. Et non immerito is, qui deiectus est, et Iudae actibus comparatur et moribus; nam, quod ille in capite, hoc iste videtur exercuisse in corpore. Nos quidem discreta mentis trutina considerantes, Primogenium subdiaconum et regionarium nostrae sedis Gradensi ecclesiae episcopali ordine cum pallii benedictione direximus consecrandum. Oportebit ergo fraternitatem vestram iuxta legem ecclesiasticam cuncta disponere capitique vestro sinceram obedientiam exhibere. Nos enim, dirigentes homines nostros ad excellentissimum Longobardorum regem, iniunximus, ut eundem Fortunatum, uti relicta ab eo republica ad gentesque prolapsum et, abnegata concordiae unitate, Deo rebellem et perfidum, necnon res, quascumque secum aufugiens abstulisse monstratur, expetere et repetere non moretur, ut et hii, a quibus haec repetuntur, a partibus christianissimae reipublicae parem iusticiam consequantur.

Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi fratres.

Data XII kalendas martii, regnante domino piissimo augusto Heraclio, anno XVIII.

14. — 638-647. Teodoro papa al patriarcha Primogenio.

FONTI: cod. marc. lat. Zanetti, 400, c. 48; cod. naz. Torino I, iv, 7; cod. ambr. A, 141, c. 23.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 697; Dandolo, *Cronica*, ed. cit., p. 96.

Theodorus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo Primogenio fratri, patriarchae Gradensi etc.

Marianus, eloquentissimus consiliarius excellentissimi filii nostri domini exarchi, in hac Romana urbe adve-

niens adversus fraternitatem tuam querelas nobis innotuit, asserens, fraternitatis tuae ecclesiae sibi promissionem fuisse positam, ita ut ingrediens in urbe regia iussionem principis eliciisset, per quam praecipitur domum quandam Stephani uti constituta civitate minime debere emptitacio dari, ut domus ipsa, salva quadam pensione, eidem Mariano eloquentissimo ex posita emphiteosin dari deberet. Promissionem tamen fraternitatis tuae, quamquam hereticorum ecclesiae tuae subscriptam, nobis ostendit. Ideoque, quia inconveniens videtur, et maxime sacerdotibus, contra promissionis suaue tenorem agere, studeat fraternitas tua promissa ad effectum perducere, maxime dum ex omnibus iura tuae ecclesiae se adeserat conservare, atque eidem domui coherentia, salva pensione, quae ab aliis dari, ipse modis omnibus esse daturum.

Deus te incolumen custodiat.

**15. — 683-5. Benedetto II ad Agatone,
patriarca di Grado.**

FONTE ed EDIZ.: Palladio, *Historie della provincia del Friuli*, Udine, Schiratti, 1660, p. 60 seg.

Benedictus, servus servorum Dei, Gradensi patriarchae salutem.

Lex divinae constitutionis apostolicam cathedralm totius posuit orbis terrarum magistram, ut, quiquid ubique locorum dubitatur, ab ea ratio eiusdem requiratur. Affatus est autem nos suis litteris eiusdem cathedralae sessorem, ac percunctatus est quidam vestro nomine Ioannes pro connubio filiae suaee superstitis, cuius soror defuncta cuidam iuveni Stephano nomine simplicibus verbis fuerat desponsata, et, antequam ad nuptias perveniret, morte praeventa, utrum scilicet cum eodem iuvene possit matrimonium celebrari superstitis filiae, necne. Namque testatus est huius rei rationem apud vos haberi ambiguam, quam, Deo docente, reddimus his verbis certissimam. Protoplatus ille, radix et origo nostra, detractam sibi costam in mulierem videns formatam, propheticō

spiritu inter alia protulit. « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una ». Quibus verbis innotuit non aliter virum et mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohaereant. Qui ergo nequaquam mixtus est extraneae mulieri foedere nuptiali, quo pacto per nuda sponzionis verba possunt una caro fieri, nullatenus valemus intueri. Propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur. Sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem. Quoniam vero ita prorsus sese habet res Ioannis istius, ut velit secundam filiam illi nuptiis copulare, cui primam iam decreverat desponsare, censura apostolici magistratus mandamus hoc absque ullius criminis vitio posse fieri, si utriusque partis rederit voluntati. Nam cur prohibeatur, quod prohibendum numquam sancta scriptura declarat? Sed neque mundanae leges, connumeratis personis, quae inter se nuptias non contrahunt, de huiusmodi re aliquid dicunt. Ne ergo abnegetis, quod negandum nulla ratione docetis.

16. — 723, 1 dicembre. *Gregorio II al vescovo Sereno.*

FONTI: cod. barb., XI, 145 (sec. XI); cod. urb. 440 (sec. XI); cod. vat. 5269 (sec. XIII); marc. lat. Zanetti, 400 (sec. XIV) c. 56 v sg.

EDIZ.: *Cron. de singulis patriarchis*, ed. cit., p. 12 sg.; Johannes Diaconus, *Cronica*, ed. Monticolo, in *Cronache*, cit., p. 96 sg.; Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 699; Dandolo, *Cronaca*, ed. cit., p. 110.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri Sereno.

Tanto munere quis ditatur, quantum in sublimitate positus de se ex mandato domini Redemptoris humiliter sentit. Etenim pastoralis dignitas singulariter ex humilitate ornatur. Spernendum quippe apostolica lectio arquit elatos: «Et, si accepisti, quid gloriaris, quasi si non acceperis?» (*1. Cor. 4, 7*). Nam, dum ad cumulum tui honoris precibus eximii filii nostri regis flexi, plurimum

etiam pro rectitudine fidei, quam te tuamque ecclesiam tenere et amplecti cognovimus, provocati, pallium tibi direximus, interdicentes et inter cetera prohibentes, ne unquam aliena iura invaderes aut temeritatis ausu usurpares iurisdictionem cuiusquam, sed in his essemus contentus, quae usque hactenus possedisti. Nunc vero, ut cognovimus, Gradensis presulis niteris pervadere iura atque ex his, quae possedit nunc usque, usurpare. Ne ergo in quoquam existas temerator, ex apostolica auctoritate precipimus, ne ullo modo terminos excedas ab eo possessos, sed solum sufficias, in hisque te habeto, quae modo usque possedisti, nec amplius quam in finibus proculdubio gentis Longobardorum existentibus gressum tendere presumas, ut non iniuste et suscepisse gratiam collatam pallii ex presumptione ostendas et inde apostolici vigore concilii, si inobediens fueris comprobatus, indignus (*ultione dignus*, D a n d .) iudiceris.

Data kalendis decemb., indictiune VII.

17. — 723, 1 dicembre. *Gregorio II ai vescovi e pievi della Venezia e Istrìa.*

FONTI: cod. barber., XI, 145 (sec. XI); marc. lat. Zanetti, 400, c. 57; cod. bibl. naz. Torino, I, iv, 7.

EDIZ.: *Cronica de singulis patriarchis* cit., p. 13; Mon. Germ. Hist., *Epistulae*, III, 699; Dandolo, *Cronica* cit., p. 110 sg.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus *(Donato patriarchae, et)* universis episcopis Venetiae seu Histriae vel plebi eiusdem (1).

(1) La *Cronica* cit., p. 13, omette Donato patriarchae. Invece il Dandolo nella sua cronaca offre la seguente lezione: Donato patriarchae et episcopis atque Marcello duci et plebi Venetiae et Istriae. Il Simonsfeld preferì la lezione barberiniana, rimangeggiata poi dal Dandolo: l'Evvald è di opinione contraria. Comunque però l'inciso et Marcello duci è di sicura interpolazione. Anche se non si dovesse dubitare dell'autenticità di tutta la lettera (Cfr. GESSI, « *Nova Aquileia* » cit., p. 546), non si può escludere che il testo sia profondamente contaminato.

Quamquam ex ministerio, quod miseratione superna gerimus, quidquid provide deliberandum peragere absque obstaculo conveniat, verum nec frustra iudicium egisse (videamus), illa cupimus prosequi quae non ad lesionem cuiusquam, sed potius ad immunitatem respiciant, et illa satagere, unde non ex potestate divinitus concessa supplicia, sed praemia sperentur. Convenit enim, ut, cum unius votis paremus, alterius iura non fraudentur. Quia igitur, missa relatione, nos a Deo salvata communitas vestra petiti contra Foroiuliensem antistetem agentes, quod cupiat invadere ditionem Gradensis patriarchae, et, ut numquam, excedere terminum vel iura invadere aliena, sed nec velle in ea, quae hactenus possedisset, esse contentum. Cui etiam in presenti, ne atemptet, ex auctoritate apostolica interdiximus eique concessum pallium sub hac esse conditione, dilectissimi, sciatis; cui denuo, ne presumat excedere, praecepimus. Ne ergo incuria quadam aut discidio locum gens eorum insidiando, ut assolet, invadat, pervigiles cavete, potius solliciti de vestra post divinum praesidium percogitate salute, quia illud non occasione agitur, sed, ubi possunt, Deo eis non resistente, virtute perpetrare nituntur, optantes vos de reliquo in amore domini nostri Iesu Christi pollere et ab omni im-
munes adversitate manere.

Bene valete.

18. – 725, 1 marzo. *Gregorio II ai vescovi della Venezia e Istria.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 1, n. 1; cod. marc. lat. XIV, 74, c. 214 v; 77, c. 97.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., Epist., III, 700.

Gregorius, servus servorum Dei, universis dilectissimis nobis episcopis et cuncto a Deo servato populo Venetiae seu Istriae.

Creditae speculationis ministerium, ita favente Domino, studeo modigerare, ut numquam me negligentiae quis condemnet sive indulgendo illicita vel tollerando

incongrua, cum scriptum sit: «Terminos patrum tuorum ne transgressus fueris» (*Prov. 22, 28*). Quia vero institutione divina quotidie imploramus, ut debita dimittat nostra Dominus, sicut nos pollicentes debitoribus dimittere dicimus nostris (*Math. 6, 12*), delinquentibus, ut peniteat, culpas relaxamus, rigore servato sanctorum canonum, prorsus ut gemitus lacrimarum speciali antidoto quasi vulnus, quod excrescit in membris, possit salvare. Dudum namque factus superbiae praeludium rogatus Petrus Pollensis antistes, canonica despiciens statuta, ab hac luce subtracto fratre nostro Donato, Gradensi presule, suam deserens ad eandem transiit sedem, contemnens regulas patrum atque ecclesiastica statuta. Quare merito ab episcopali collegio esset diffinitione patrum extorris et sacerdotali officio nudatus, nisi eum apostolica preveniret compassio. Quod quia instruimur severitatem legum bonitatis indulgentia temperare et delinquentibus portum indulgere salutis ad imitationem domini nostri Jesu Christi, si quis offenderit, manum porrigere non denegamus, ab ea, in quam incidit foveam, relevantes, illa interpositione, ut semper se curet, flendo diluere commissa, et doleat tentasse apostolica violare statuta, ut poenitentiae medella cicatrix possit cordis sui vestigia relinquere. Eundem itaque Petrum episcopum ad pristinam redire sedem beati Petri apostolorum principis, cuius meritis impares vices tamen dignatione superna gerimus, auctoritate precipimus, plurimum vestris faventes votis, ea duntaxat, sicut praemissum est, interpositione, ut sibi indulta non ex licentia credat, sed semper retineat memoria nimia compassionem fuisse concessa, et commissum anterioris perpetrati posteritas obumbret modestae actionis. Quamvis enim ei aditum ad suam remeandi sedem tribuamus, ut vivens semper doleat offendisse, volumus quatinus, compunctionis stimulo sese adlacerans, ab erumnosa hac vita ad perpetuam non dubitet pertingere gloriam. Omnes itaque vos admoneo, dilectissimi fratres vel filii, ut concordes pro amore Dei absque elationis fuco eligere in Gradensi

ecclesia presulem debeat (1), qui moribus actibusque polleat et ad exorandum Christum pro populo sit meritis dignus, ut suavitatis suae vel caritatis decoretur testimoniis postque sui consecrationem ab hac summa sancta Dei ecclesia pallium, id est benedictionis cumulum, et sui veniam et personam [accipiat], ut sic ecclesiae Christi ornatae sacerdotibus maneant Christi domini protectione inconcussae subque eorum regimine Christi plebs in eius amore proficiat.

Bene valete.

Data kalendis martiis, imperante domino nostro piissimo augusto Leone a Deo coronato, magno imperatore, anno nono, post consulatum eius anno nono, sed et Constantino maiore, imperatore, eius filio, anno sexto, inductione octava.

19. — 725-731. Elezione dell' arcivescovo Antonino e concessione del pallio.

FONTE: *Cronica de singulis patriarchis*, ed. Monticolo cit., p. 14

.... precepto (2) eiusdem papae Gregorii elegerunt Antoninum virum probatissimum *(in nova sancta Aquileensi patriarcham ecclesiam)*, qui a beato Gregorio papa tertio iuxta decessorum suorum exemplar privilegium cum benedictione pallei consecutus est.

(1) Analogo ordine pontificio dalla *Cronica de singulis patriarchis* (ed. cit., p. 13 sg.) è attribuito a Gregorio III, al 731 ... qui [Gregorius] post obitum Donati, Gradensis patriarche, epistolam suam direxit universis Venetiensis seu Histriae et cuncto populo, ut electionem in Gradensem patriarcham facerent.

(2) Attribuito dalla *Cronica de sing. patr.* a Gregorio III nel 731. Manca il testo.

20. — 727, ottobre. *Gli imperatori Leone e Costantino per la chiesa gradense.*

FONTI: Cod. marc. lat. XIV, 74, c. 215 v. sg.; 77, c. 88.

EDIZ.: Besta, *Un sigillo inedito di Leone l'Isaurico*, in « Scritti giuridici in onore di Carlo Fadda », Napoli, 1906, vol. IV, 269 sg.

Leo et Constantinus augusti imperatores. Ecclesiarum terminus et canonicorum traditiones nostra imperialis maiestas dignissimos sacerdotales viros, quos cognoverint virtute prudentiae imbutos, plures atque scientes ac deferentes in sacerdotii culmine trono precellentie imperaret. Pro qua notum sit omnibus presulis dignitate seu reliquis mundanis officiis, iuribus predictis, nullatenus in consecratione episcoporum se ipsos immittere presumat, ut nemo in eis quispiam cupiente pro divitiis sacerdotum alienati indigne se ad sacrum ordine preferant, et ex hoc non solum sua ignorantia orthodoxiae periculus egrediatur sermo, sed potius omnium ecclesiarum constitutioni culpabilis sit. Sed enim episcoporum eminentia secundum apostolicam traditionem indefessa spiritualitate agatur. Unde iubemus ut a modo octubrio mense, presente undecima indictione, et in caeteris per omnia perpetualibus annis, post decessum seu obitum fortunatissimi archiepiscopi Gradensis preferre quempiam de omnibus exseculares viros, in tali officio nullatenus se ipsos immittere, nisi se solummodo ecclesiasticos et canonicos viros. Roboramus videlicet episcopos, abates et presules ecclesiae atque sacerdotes seu et per omnem Venetiarum provinciam electionem facientes et sanctitatis virum eligens et hunc concedere pastorem et principem rationabili ovilem Christi vero Deo nostro; porro vitalis cum timore Dei et reverantia presit, domini nostri Ihesu Christi populum preferat, in loco pascue spiritualiter dicimus divine scripture refertionis et super aquas colocationis. Et, ut hec iuste a nostra lege statuta imperialem iussionem in omnem a Deo conservata Venetiarum provintia, ut lex ad transgressa posita traditio in generatio-

nibus observatur et in caeteris per omnia et perennis temporis, pro eo, ut non dubitet quisquam omnibus, presente hoc nostrum preceptum more imperii nostri de bulla nostra infigi iussimus, mense et inductione supra-scripta.

21. — 731, ante 1 sett. *Gregorio III all'arcivescovo Antonino.*

FONTE: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 5, n. 5.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 703.

Gregorius tertius pontifex dilectissimo fratri Antonino, Gradensi archiepiscopo, seu dilectissimis nobis episcopis eiusdem ordinationi seu concilio pertinentibus.

Inter diversas continuationum erumnas, quae nos hinc inde in seculo positos circumstant et obruunt, orta est vana et perniciosa calamitas, quae graviter semper ecclesiam quasi quibusdam ventosis procellis conturbat inaniter attemptata. Est enim infelix impietas apud regiam urbem, ut - credimus - notum habetis, et per diversas provincias, ita ut, quod lugentes dicimus et voce promimus lacrimosa, sanctorum imagines ad ipsius domini et Redemptoris nostri instar omnes proiciantur, ecclesiae delacerentur atque ipsius Dei ecclesiae, quod fatale malum est et intollerabile exitium, habitationes hominum vilium utique efficiantur armentorum, ut iam in eis nulla debeat laus Deo cantari. Unde cum profeta lamentabili voce dicendum est: «Quis dabit capiti meo aquas aut oculis meis lacrimarum fontes, ut tantum defleamus exitum» (*Ierem. 9. 1*)? Proinde, carissime frater atque dilectissimi nobis ecclesiarum Dei rectores, hortamur dilectionem vestram, ut pro domini nostri Jesu Christi nomine iuxta apostolicam vocem cunctas subiectas vobis ecclesias communere atque instruere magnopere debeat. Attendite, inquam, dilectissimi fratres, vobis et universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, ut iuxta traditionem sanctorum patrum et sanctae antiquitatis

omnes veram fidem defendantes sanctam, si contigerit, corpora ponant et sanguinem fundant, quia ecce venit dies acceptabilis, ecce nunc dies salutis (*2, Cor. 6. 2*). Nostis, carissimi, quod sancti per fidem vicere regna. Haec vestra sit, fratres, ad omnem populum Christi commonitio, ut ipsi propriae saluti legem christianam defendantes possint constantia fidei prodire. Vos vero, carissimi, omnes, qui domos Domini diligentiam geritis, ad defendendam et confirmandam veritatem kalendas novembbris succedentis quindecimae inductionis apud hanc apostolicam sedem convenite omnes opposita negligentia, ut, communi conventu atque tractatu, auctoritate beati Petri apostolorum principis super tale capitulum sententia promulgetur atque statuatur, qualiter rabiem adversantium preveniamus et nostrarum procuremus animarum vel subiectorum salutem, consortes quoque mereamur pio intuitu sanctorum fieri predecessorum et quorum clara nos post Christi praesidium fovet doctrina.

Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi nobis.

22. - 731, 1 novembre. Sentenza della sinodo romana per la divisione del patriarcato.

FONTE: Archivio Stato, Venezia, Atti diplomatici misti, n. 1 già, Documenti restituiti dall' Austria, n. 140).

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 704 sgg.

È una postuma falsificazione, compiuta poco prima del 1053 con la scorta degli atti autentici della sinodo romana convocata nel novembre 731 per risolvere la questione iconoclasta. Cfr. CESSI, *Nova Aquileia*, cit., p. 577 sgg.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Cum simus dominice plebis divina miseratione rectores, studiosius nos convenit Dei presidio pro eorum sepe cogitare salute, ne, creditis frustratis, quod absit, e manibus insidiis antiqui hostis, ante omnium pastorum dominum, nisi succedat preveniendo de offensis correctio, districtam cogamur solvere rationem. Igitur cum superna dispensatione in

gremio ecclesie beatissimi apostolorum principis ac celestis regni clavigeri Petri, cuius vicem licet immeriti gerimus, una cum sanctorum coetu episcoporum ante eiusdem confessionem ad retractandam ecclesiastice dispensationis normam consedissemus, precipue ob imagines, que ad instar domini Redemptoris nostri facte proiciebantur, atque ecclesiae ipsae in regia urbe ut vilia hominum habitacula efficiebantur, et propter inlicitas quasdam coniunctiones, quae fiebant, quod fatale malum et intollerabile erat exicum, inter cetera, quae pro defensione vere fidei ventilata sunt, Antoninus, unus ex residentibus, Nove Aquilegie id est Gradensis patriarcha super Serenum Foroiuliensem antistitem conquestus tunc est, quod parvipendens beate memoriedecessoris nostri Gregorii edictum, qui regis Langobardorum precibus devictus pallium sub sua sibi concesserat interminatione, ut suae Gradensis ecclesie terminos nulla elatus penitus contingeret presumptione, verum ipse temerario dehinc ausu eosdem terminos proterve invasisset, neque pro tante audacia usurpationis Deum timeret, neque hominem vereretur. Cui asurgens Serenus cum retulisset non equam eum promovisse de hoc adversum se querelam, deceret potius ea, quae obiciebat, taciturnitati illum committere, ad hec Antoninus: « Apostolicae sedis huius pontificum censura, Serene, pro hac ipsa contentione habita, superna iuvante gratia, erit hodie nobis magistra ». Quibus cum ediceremus, si qua haberent, auctoralia oportere utrosque in medio deferre instrumenta, ut, inspectis amborum diligenti cura apicibus, talem superno intuitu huiusmodi liti imponeremus finem, per quem nulla inter eos eorumque successores in posterum de his insurgeret disceptatio, interea Antoninus, Gradensis patriarcha, sua protulit monumenta, in quibus continebatur de mutatione suae sedis ex veteri Aquilegia in Gradensem civitatem piae memorationisdecessoris nostri pape Pellagii auctoritate facta, eamque, episcoporum vigenti sinodica promulgata sentencia, totius Venetiae et Istriae metropolim confirmatam atque ad instar veteris Novam dictam fuisse Aquilegiā. His denique evi-

denter consideratis, visum nobis fuit quod Serenus contra haec sua ostendere scripta debuisset. Set isdem tunc confessus est nil se aliud preter unum habere privilegium, quod a decessore nostro Gregorio pro usu sibi palii concessum fuerat, in quo habebatur quod, licet regis Langobardorum praecibus palii consecutus fuisset benedictionem, non ob id gloriaretur, set esset, quasi non accepisset, in eo tantum contentus, quod tunc usque obtinuissest, id est Foroiuliensi episcopatu, nec unquam Gradensis dicionis iura patriarchae contingere praesumpsisset: quod si inobediens aliqua fultus elatione comprobaretur, edicto apostolici vigore concilii ipse se gratia collati palii ex praesumptione indignum ostenderet et iudicaret. Non enim, his auditis, contempnentes sancta patrum atque ecclesiastica statuta, Sereni culpa latere diu potuit, pro qua ab episcopali collegio esset definitione patrum extorris et sacerdotali officio nudatus, nisi confitentem suae temeritatis reatum et a tali deinceps cessare praesumptione sub iurisiurandi religione spondentem eum apostolica praeveniret compassio, qua instruimur, severitatem legum bonitatis indulgentia temperare. Preterea nos ecclesiae Dei utilitati praevidentes et, ne ultra talis eandem vexaret disceptatio, consendentium fratrum definitione episcoporum liti finem imponentes, stabilimus, ut Novae Aquilegiae id est Gradensis civitatis Antoninus patriarcha suique successores tocius Venetiae et Istriae, quae nostra sunt confinia, remota omnium insolentia ac tergiversatione, primates perpetuo habeantur; Foroiulensem antistetem Serenum suosque successores Cormonensi castro, in quo ad praesens cernitur sedere, in finibus Langobardorum, solummodo semper esse contentos; statuentes insuper et ex apostolica auctoritate nulli unquam haec, quae a nobis pio promulgata sunt pro unitate aecclesiae intuitu, in quoquam violare aut aliqua licere transgredi praesumptione, set perpetuis temporibus ab omnibus sanctae ecclesiae Dei fidelibus inviolata sub interminatione futuri iuditii observari ac inconvulsa manere. Qui autem huius nostrae definitionis violator extiterit, nostro anathemate sic pereat, ut in

adventum Dōmini cum his, qui a sinistris damnandi erunt,
aeterna multentur poena.

Gregorius, episcopus sancte catholice atque apostolice
Romane sedis ecclesie, huic constituto a nobis promul-
gato [sub]scripsi.

Iohannes, Ravennas archiepiscopus, huic constituto
a nobis promulgato subscripsi.

Agnellus, episcopus sancte ecclesie Feretinensis, huic
constituto a nobis promulgato subscripsi.

Vitalis, episcopus sancte ecclesie Aratrine, huic con-
stituto a nobis promulgato subscripsi.

Oportunus, gratia Dei episcopus sancte ecclesie Man-
turaniente, huic constituto a nobis promulgato sub-
scripsi.

Martinianus, episcopus sancte ecclesie Gavennatis,
constituto a nobis promulgato subscripsi.

Gregorius, episcopus sancte ecclesie Portuensis, huic
constituto a nobis promulgato subscripsi.

Tiberius, episcopus sancte ecclesie Silvecandide, huic
constituto a nobis promulgato subscripsi.

Gregorius, episcopus sancte ecclesiae Agninae, huic
constituto a nobis promulgato subscripsi.

Antoninus, sancte Nove Aquilegie ecclesie patriarcha,
huic decreto a nobis promulgato subscripsi.

Rusticus, episcopus Concordiensis, subscripsi.

Sereno, Foroiulensis episcopus, huic decreto sub-
scripsi.

Dominicus, episcopus Metamaucensis, subscripsi.

Iohannes, episcopus Tergestine ecclesie, subscripsi.

Iohannes, Foroliviensis episcopus, subscripsi.

Stephanus, episcopus sancte Aquilegie, subscripsi.

Petrus, Sabionensis episcopus, subscripsi.

Petrus, Bononiensis episcopus, subscripsi.

Iohannes, indignus episcopus sancte ecclesie Signine,
huic decreto subscripsi.

Andreas, episcopus sancte ecclesie Albanensis, sub-
scripsi.

Agnellus, peccator, episcopus sancte ecclesie Matrine,
subscripsi.

Tribunarius, episcopus sancte ecclesiae Falaritane, subscrispsi.

Anastasius, episcopus sancte ecclesie Tiburtine, subscrispsi.

Iohannes, episcopus sancte ecclesiae Bledine, subscrispsi.

Willanus, episcopus sancte ecclesie Narniense, subscrispsi.

Sergius, gratia Dei episcopus sancte ecclesie Prenestrine, subscrispsi.

Petrus, humilis episcopus sancte ecclesie Amerine, subscrispsi.

Maiorinus, episcopus sanctae ecclesiae Hispanie, subscrispsi.

Vinderedus, episcopus sancte ecclesie Polimartii, subscrispsi.

Sedulus, episcopus de genere Scotorum, subscrispsi.

Sergastus, episcopus, huic constituto a nobis promulgato subscrispsi.

Sisinnius, humilis presbiter sancte Romane ecclesie titulo sancti Laurenti, qui appellatur Lucine, huic constituto subscrispsi.

Ichanne, presbiter sancte ecclesie Romane, subscrispsi.

Sisinnius, presbiter sancte ecclesie Romane titulo sancti Sixti, subscrispsi.

Iohannes, presbiter titulo sancti Marcelli, subscrispsi.

Iohannes, humilis presbiter sancte Romane [ecclesie] titulo sancti Marcelli, subscrispsi.

Eustarcius, humilis presbiter sancte Romanae ecclesiae [titulo sancte] Anastasie, subscrispsi.

Georgius, inmeritus presbiter sancte Romane ecclesie in titulo sanctorum Iohannis et Pauli, subscrispsi.

Talasius, humilis presbiter titulo sancte Dei genitricis, qui appellatur Calisti trans Tiberim, subscrispsi.

Marinus, humilis presbiter titulo sancte Savine, subscrispsi.

Constantinus, presbiter sancti Ciriaci, subscrispsi.

Gregorius, humilis presbiter titulo sancti Clementis, subscrispsi.

Epiphanius, humilis presbiter sancte Romane ecclesie in titulo sancti Laurentii, subscrispsi.

Marinus, indignus presbiter titulo Apostolos, subscrispsi.

Iohannes, humilis presbiter titulo sancte Prisce, subscrispsi.

Petrus, indignus archidiaconus sancte sedis apostolice, subscrispsi.

Gregorius, indignus et humilis diaconus, subscrispsi.

Musscus, humilis diaconus sancte sedis apostolice, subscrispsi.

Benedictus, indignus diaconus, subscrispsi.

23. – 731-2. *Gregorio III al vescovo foro giuliese Callisto.*

FONTI: Archivio Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 4, n. 4; cod. marc. lat. Zanetti, 400, c. 58; cod. naz. Torino, I, iv, 7.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 707 sg.; Dandolo, *Cronica*, ed. cit., pag. 113 sg.

Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, Callisto etc.

Iam triennium evolutum, decessoris nostri tempore, plurimis fuerat constitutum dilectionem tuam ab hac summa atque apostolica Dei ecclesia pallii promeruisse benedictionem, commonitum te quoque, ut in sanctae nostrae ecclesiae scrineis testantur volumina, fuisse, ne unquam auderes tu vel tui futuri successores aliena invadere iura aut temeritate qualibet illicita perpetrare, sed, ut humiliter utereris tibi concessum pallium, fueras institutus. Merito magis est oneris quam honoris. Nunc vero cognovimus, contra canonum instituta, cuiusdam proterviae ausu temeratorem te extitisse, et valde audita doluimus. Cognovimus enim, quod ita habetur nullus fieri sine murmuratione, quia aviditate devictus ausu illicito pervaseris possessiones, que Centenaria et Misiones nuncupantur, pertinentes monasterio sanctae Dei genitricis sito in insula Barbiana, quod prisco et longo

tempore sancta iure possidet Gradensis ecclesia et eius hactenus fuerat ditionis. Quod, quia aliena nulli licet invadere, precipue sacerdotibus, quia contra Deum est, precipimus beati Petri apostolorum principis auctoritate, cui a domino Deo et Salvatore nostro ligandi atque solvendi in coelo terraque potestas concessa est, ut ea, quae pervadere contra legem ausus es, in presenti cum omnibus ei pertinentibus in integro restituere Gradensi archiepiscopo debeas, cuius ditioni pertinere videtur, et ab insolentia recedere. Non enim sinimus, scias, licitare tibi illicita et aliena brachio possidere: potius molestia sacerdotali constrictus tuis te habeto [contentum] et, ut fortis [brachio] servans, pervasa restitue. Scias enim, si extiteris temerator et reddere distuleris aliena, apostolica sententia canonica te subiacere correctioni atque penitentiae, dum iusta fueris condemnatus sententia.

24. — 736. Iscrizione torcellana.

FONTE: Marmo originale nella chiesa di S. Maria Assunta di Torcello.

EDIZ.: Lazzarini, *Una iscrizione torcellana del sec. VII*, in « Atti del R. Istit. Ven. di S. L. e A. », to. LXXIII, p. II, e ristampata in « Scritti di paleografia e diplomatica », Venezia, Ferrari, 1938, p. 120 sgg.

[*In nomine domini*ni Dei Nostri Iesu Christi imperante domino nostro Heraclio || [perpetuo] Augusto anno XXVIII indictione XIII. Facta || ... sancte Marie Dei genetricis ex iussione pio et ... || domino Isaacio excellentissimo exarcho patricio et Deo volente || ... oeysmere ... et ... us exerc. hec fabrica est ... || ... m: ma / ... / b ... / gloriosum magistro militum || ar. res ei ... em in hunc locum suum || sie huius ecclesiae.

25. — 739-740. ante Pasqua. Gregorio III ad Antonino, arcivescovo di Grado.

FONTE: Arch. Stato, Venezia, codice Trevisaneo, c. 6, n. 6.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.* III, 708 sg.

Gregorius tertius pont. ad Antoninum, patriarcham
Gradensem.

Saepius evocatus, ut Apostolorum liminibus dilectam
fraternitatem tuam cum episcopis, qui sub tua ordinatione
consistunt, praesentari, diversis insurgentibus perturbatio-
nibus, venire secus eos, dilectissime, innotuisti esse im-
possibile. Quod quia principalis causa est, ut pre ceteris
salutem fidei christiana et domum Domini diligentia pro-
curemus, iuxta quod obsecravit rex Longobardorum pro
suis archiepiscopis, nostra parte, post tertium diem
Dominicae Resurrectionis, ut etiam ipse cum tuis iter arri-
pias, volumus, quia et Venetiarum episcopis ita scripsimus;
si valet, ad generalitate[m] exercitum, ut nullius pre-
pediant veniendi, hortati sumus. In hac enim causa nulla
debet intercedere negligentia, quia Deo per omnia, si
desides extiterimus, districtam solvemus rationem, beato
inquiete apostolo Paulo: «Attendite» inquit «vobis
et universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit epi-
scopos, regere ecclesiam suam, quam acquisivit sanguine
suo (*Act. 20, 28*)». Proinde, ut ad statutum conveniat
tempus, ex apostolico vigore vestram omnium hortamur
fraternitatem. Possumus enim, ortam contentionem ab
ecclesia Dei expellentes, premia ab eterno iudice percipere
et perpetuam vitam.

Deus te incolumen custodiat, delectissime frater.

**26. — 740-741. Gregorio III ad Antonino
arcivescovo di Grado a difesa dell'esar-
ca di Ravenna fuggiasco.**

FONTI: cod. vatic. 5269 (sec. XIII); marc. lat. X, 141.

EDIZ.: Iohann. Diacon., *Chronicon*, ediz. cit., p. 95 seg.; Mon.
Germ. Hist., *Epistulae*, III, 702.

Identica è la lettera, che il Dandolo suppone diretta dal papa per
lo stesso oggetto al duca Orso. Questa è riferita solo da lui e dal
Diplovataccio (cod. marc. lat. XIV, 75, c. 91), ed è conforme a
quella diretta ad Antonino, dal Dandolo omessa. È lecito dubitare della
sua autenticità e pare piuttosto una contaminazione del testo origi-
nale antoniniano con la didascalia: *Gregorius episcopus servus servo-*

rum Del dilecto filio Urso Duci Veneciae. Cfr. DANDULI, Cronica, ed. cit., p. 113.

Dilectissimo fratri Antonino Gregorius. Quia peccato faciente Ravennantium civitas, que caput extat omnium, ab nec dicenda gente Longobardorum capta est, et filius noster eximius dominus exarchus apud Venecias, ut cognovimus, moratur, debeat tua fraterna sanctitas ei adaerere et cum eo nostra vice pariter decertare, ut ad pristinum statum sanctae reipublicae et imperiali servicio dominorum filiorumque nostrorum Leonis et Constantini, magnorum imperatorum, ipsa revocetur Ravennantium civitas, ut zelo et amore sanctae fidei nostrae in statu reipublicae et imperiali servicio firmi persistere, Domino cooperante, valeamus.

Deus te incolumen custodiat, dilectissime frater.

27. - 743, 6 giugno. *Sentenza di re Liutprando per la diocesi di Oderzo.*

FONTE: Arch. Stato, Venezia, Miscellanea atti diplomatici misti, n. 2, già Atti dipl. misti, ser. III, n. 214.

EDIZ.: Botteon, *Un prezioso documento riguardo alle origini del vescovado di Ceneda*, Conegliano, 1898, p. 4 sgg.; Chroust, *Untersuchungen über die langobardischen Königs- und Herzogs-Urkunden*, Graz, 1888, p. 207 sg.

In generale fu dubitato dell'autenticità del documento, strenuamente difesa dal Botteon: Esso andò soggetto a qualche leggera contaminazione formale, ma nella sostanza è autentico. Cfr. CESSI, *La crisi ecclesiastica veneziana al tempo del duca Orso*, in « Atti del R. Istit. Veneto di Scienze, lettere ed arti », to. LXXXVII, p. II, p. 829 sgg.

In nomine domini Dei aeterni. Liutprandus, supernae concessionis largitate rex. Manifesta res est atque probabilis, quoniam ante hos annos, priusquam civitas Opitergina a Langobardis capta fuisse, ibi sedes episcopalnis inveniebatur antiquitus posita. Sed, postquam ipsa civitas a Langobardis comprehensa est, episcopus Fororoiulianus, Tarvisianus et Pataviensis ipsam parochiam inter se diviserunt, et effecta est ipsa sedes Opitergina quasi vacua et sine omni patrimonio. Tempore autem nostro accessit ad nos

Teudemar, dux noster, nostram humiliter postulans celitudinem, quatenus in Cenitense castro nostro episcopalem sedem faceremus episcopumque ibi consecrare permetteremus. Nos vero canonicae auctoritatis reminiscentes, quia, ubi plebs crescit, episcopum ordinandi licentia est, adhortavimus eum ut accederet ad patrem nostrum bone memorie Iohanem scilicet patriarcham, ut de hac causa juxta sacros canones ordinaretur. Qui, dum insimul inde collocutiones habuissent, in jamdicto Cenitense castro episcopum, Valentinianum nomine, consecravit patriarcha. Post hoc autem factum idem Valentinianus nostram presentiam adiit, humiliter nos obsecrans ut ei confirmare et corroborare plebes et parochiam, quae Opitergine sedi pertinuerunt, dignaremur, quod nos ita fecimus. Postmodum vero Calistus patriarcha et ipse Valentinianus, altercationem de ipsa parochia inter se habentes, venerunt in nostra presentia. Dicebat enim jamdictus Valentinianus episcopus: «Ego quidem in sede Opitergina episcopus sum consecratus, et ideo parochias eidem sedi pertinentes habere et tenere debo, quas occupatas tenetis tam vos quam Tarvisianus episcopus et Pataviensis». Cui e contra Calistus patriarcha respondebat taliter: «Si tu in sede Opitergina episcopus es consecratus, non solum hac parochia carere debes, verum etiam a sacerdotali ordine merito es deponendus. Quoniam episcopus Opitergine civitatis, sede destructa, in quadam insula latitans vivus erat, quando tu presulatus honorem sumpsisti». Et dum hec inter se agerent, hanc rationem inter eos diffinire nolui-
mus, sed direximus eos in presentiam beate memorie Petri, Ticinensis ecclesiae episcopi. Tunc demum stetit inter eos, ut laxaret isdem Valentinianus episcopus Calisto patriarche quattuor plebes in itinere suo positas propter viam vel viaticum, uti, quantociens Calistus de Foroiulii ad Ticinense palatium accederet vel regredieretur, inibi servitium haberet, eo videlicet ordine ut post habitum ejusdem Valentiniani haedem plebes ad Cenitense episcopum et successores reverterent suos. Mortuo autem eodem Valentiniano, consecratus est ibi tunc Maximus episcopus a supradicto patriarcha. Sed, antequam consecraret eun-

dem, propria manu promittendo scribere fecit, ut de ipsis
 quatuor pleibus nunquam ageret vel inde querimoniam
 haberet, et pro hujus scriptionis promissione nichil inde
 agere presumebat. Quo auditio, Ahulmus dux hanc causam
 tacitam permanere noluit, et, inchoata causa, occupavit
 eum egritudo et ab hac luce subtractus est. Verum, dum
 in Dei nomine ejus vice Aginualdum ordinassemus
 ducem, ipse noluit dimittere causam ipsam tacitam per-
 manere. Sed, dum nuper sopradictus Calistus patriarcha ad
 nos venisset, isdem Aginualdus missum suum, nomine
 Faustus ad nos direxit, qui hanc causam in nostri pre-
 sentia cum ipso patriarcha, cum Ticiano, Tarvisiano epi-
 scopo atque Pataviense, in sacro palatio recitaret. Dicebat
 enim ipse Faustus, missus Aginualdi ducis, et hanc rem
 ita exorsus est: « O pater Caliste patriarcha, rogo te pro
 Dei omnipotentis amore, ut parrochiam Cenensis episco-
 patus, quam injuste et contra legem violenter tenes, omni
 occasione remota, Maximo, episcopo nostro, legaliter red-
 dere festines et sis contentus tuis, ne gaudeas de alienis,
 quia sua ecclesia sine eadem parrochia, sibi maxime vicina,
 bene esse non potest ». Cui ad hec Calistus patriarcha re-
 spondebat: « Parrochia ista, quam nunc queris, ad Forum-
 iulii pertinere debet, quia, Opitergio destructo, Rothari
 rex ipsam parrochiam nostrae ecclesiae concessit ». Cui
 e contra Faustus, missus Aginualdi ducis, ita respondebat:
 « Non est ita, ut asseris, sed, Opitergio destructo, Cenitenses
 corpus sancti Ticiani habuerunt, et illud honorifice ibi
 sepelierunt, et ob hoc ibi sedes sanctae Opitergine ecclesiae
 merito mutata est, et ipsa Cenensis sedes, olim Opitergio
 subiecta, nunc, mutata vice, totam parrochiam omnesque
 dioceses et cuncta oratoria, sicut antiquitus sub presule
 Opiterginensis ecclesiae fuerunt, ita legaliter tenere firmi-
 terque possidere imperpetuum, Deo auxiliante, debet ». Tunc
 demum interrogaverunt tam Calistus patriarcha quam Ti-
 cianus, Tarvisianus episcopus necnon Pataviensis, Fau-
 stum, missum Aginualdi ducis, si antiquitus sedes episco-
 palis in castro Cenitae fuisse, aut non, et dum ibi a multis
 nobis clare factum fuisse, quod tantummodo Maximus ini-
 bi secundus episcopus esset, et quia, dum civitas Opitergina

in suo vigore maneret, Cenitenses ecclesie sibi subdite essent, iustum nobis iuxta sacros canones videbatur esse una cum ipsis patribus, Calisto scilicet atque Tarvisiano necnon Pataviense, ut Cenitense episcopium omnem diocesem Opitergine ecclesiae teneret et possideret. Tunc vero prescripti patres, Calistus scilicet patriarcha et Ticianus, Tarvisianus episcopus necnon Pataviensis, consenserunt et relaxaverunt omnem illam parrochiam integre Cenitensi ecclesiae et ejus episcopo Maximo, qui tunc erat, cunctisque suis successoribus, quam antiquitus Opitergina sedes tenere videbatur, autoritatem canonicam diligentissime inspicientes, et ita de hac re finita est contentio. Unde ammodo et in perpetuum has utrasque partes in eadem definitione et deliberatione permanere volumus et firmiter precipimus, dantes hec precipue mandata omnibus patriarchis, episcopis, ducibus, {marchionibus, comitibus}, universisque gentibus nostris, ut nullus eorum ullo unquam tempore contra hanc nostram institutionem et legitimam diffinitionem audeat ire vel insurgere, sed omni tempore nostris quidem felicissimis temporibus hoc in eadem deliberatione quiete dimittant permanere.

Ex dicto domno regis Hatto notarius scripsi, vice Walchis notarii.

Data in Ticinensi palatio. sexto die mensis junii, anno felicissimi regni nostri trigesimo primo, per indictione (sic) undecimam. Feliciter.

..... in Vico novo, in honore Sancti Vigilii, subditas habens has villas de subtus colle S. Floriano, vico Auriligus, vico Adolarius, vico Cornario, vico Balnanicus, vico Calbonacus, vico Cappraria (?), vico Mucinicu, vico Amiriana, vico Avivario, vico Carpinico de supra, vico Carpiniello, vico Ancillarola, vico Ballanicu.

28. – 757, 14 aprile. Pactum sive promissio per Pipinum patricium [Stephano II pontifici (Promissio Carisiaca).

FONTE: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, a. 7 sg., n. 7.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Diplom. Karolinorum*, I, 56 sgg.

È falso, rifatto in gran parte sopra le fonti cronistiche, utilizzando formule di diplomi posteriori. In esso, nel precisare i limiti territoriali della concessione al papa, è riprodotta la formula carolingio-adrianea. Nello stesso codice è pure registrato (*ivi*, c. 9, n. 8) un estratto della confinazione, contaminata con il racconto del *Liber pontificalis* relativo all'accordo di Kiersy e con la lettera di Stefano a Giovanni patriarca (v. n. 32).

In nomine domini. Ab incarnatione domini nostri Ihesu Christi anno **, qui cum patre et spiritu sancto regnat, Deus ante et in futura saecula. Amen. Pipinus, gratissima Domini eadem largiente gratia, patricius Romanorum, almo patri beatissimoque apostolorum principi Petro et per eum sancto in Christo patri Gregorio (*rectius*, *S t e p h a n o*) apostolica sublimitate fulgenti eiusque successoribus usque in finem seculi. Dum post multas iniquissimas calamitates et imminentes tribulationes, quae ab impia Langobardorum gente sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae – inferebantur – contra Aystulfum Langobardorumque gentem insurgeremus – sub hoc quippe pactionis foedere – omnes civitates atque ducata seu castra, sicque insimul cum exarchatu Ravennatum, nec non et omnia, quae priden tuae per imperatorum largitionem subsistebant ditioni – concedimus – incipientes ab insula Corsica, eandem insulam integriter, deinde a civitate Pistoria inde in Lunis, deinde in Luca, deinde per monasterium S. Severiani in monte Pardonis inde in Parma, deinde in Regio inde in Mantua, deinde in Verona inde in Vincentia, deinde in Montesilicis, deinde per litora (?) Bituneas, ducatum Venetiarum et Istriae integrerter cum omnibus civitatibus, castris, oppidis, vicis, parochiis, ecclesiis eis subsistentibus, deinde Adriensem civitatem in Cumaculum etc.

29. – 761 (?). Papa Paolo a re Pipino.

FONTE: *Codex carolinus*, n. 31. (cod. Vindobon., 449, c. 38 v.).
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 537.

Domino excellentissimo filio nostro et nostro spi-

ritali compatri Pippino, regi Francorum et patricio Romanorum, Paulus papa.

Et ideo his apostolicis relationum sillabis mellifue et a Deo institutae regalis vestrae potentiae culmini innotescimus suscepisse nos post absolutionem nostrarum litterarum sillabas a sanctissimo fratre nostro Sergio, archiepiscopo Ravennate, quas Leon imperialis*** (*spatarius; c o d. servus*) eius sanctitati Ravennatum provintia visus est direxisse. Et ecce infra has nostras apostolicas litteras praeclare excellentiae vestrae earum instar direxisse, ut, suasionis versutiam in eis adnexam prae fulgida excellentia vestra agnoscens, defensionem perfectius studeat procurandam

Exemplar denique epistulae secretae, directae a quibusdam fidelibus Veneticis sanctissimo fratri nostro Sergio archiepiscopo, simul et ex litteris, quas idem sanctissimus vir nobis direxit, infra hec nostra scripta misimus. Et peto et tamquam presentaliter deprecor atque per omnipotentem Deum coniuro excellentissimam christianitatem vestram, ut nimis velociter dirigere iubeatis vestram praeceptionem Desiderio, regi Longobardorum, ut, si necesse exigerit, auxilium prestare debeat tam Ravennae quamque Pentapoleis maritimis civitatibus ad dimicandum contra inimicorum impugnationem.

30. — 770-72. L'arcivescovo di Grado Giovanni a papa Stefano III (IV).

FONTE: Arch. Stato, Venezia, codice Trevisaneo, c. 13 sg., n. 10.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 712 sg.

Domino sanctissimo ac ter beatissimo apostolico atque coangelico patri, domino Stefano, universalis pappe, Iohannes, servorum Dei servus, humilimus episcopus.

Si omnes capilli capiti nostro ignes exuerint omnisque virtus nostra odore farciatur suavitatis, nec sic digne

laudes et gratias referre valeremus effectibus apostolicae vestrae dominationis de tot agonibus, quae dignati estis pro totius populi consolatione nostraque salute impendere, de quibus digne et merito vestrae coangelicae coronae diffinitus est dominicus sermo: « Quoniam pastor bonus animam suam pro errantibus ovibus et in perditione succubentibus posuit redempturus » (*Iob. 10. 11*). Obinde, omnium sacerdotalium pastorum, summe pastor et domine, qui Apostolorum principis Petri beati satis dignam contines fidem et vices seu omnium Apostolorum patule effectus es censors, ac si ante tuis (*c o d.: si tam tuas*) presentaliter conangelicis vestigiis prostratus humo apostolatus atque ter beatissimi sanctissimi domini, exiguitate atque fragilitate mea cum his, qui commissi sunt, vestro pastorali regimini salubriter dispensandam committo, ut et ego, qui, licet valde dissimilis, animarum tamen dispensationem suscepi, institutionibus doctrinisque de spiritali matre omnium apostolica sede percepvi, anxius magna immitandum secundare, deinde proferre prestoler et tamquam in fundamentum firmissimi edificii speciali construere, ad gloriam obsecrationibus apostolici nostri sanctissimi [domini] solidatum possit surgere. Per vestram enim apostolicam sedem, utpote perluminare magnum, inextinguibili fulgore splendificus Dei filius, qui sol est iustitiae, omnium hominum corda lustravit cunctaeque catholicae eius ecclesiae membra per totum orbem diffusa in fide christiana rectitudinis una grege (*c o d.: grex*) unoque pastore perseverare dispositus, ne in alicuius erroris caligine labefacta sucumbit, sed in fide capiant rectitudinis, per animi cultum pastoralem grex dispersa reducatur ad caulam salutis. Ergo, pastor pastorum et omnium sacerdotalium caput et benignissime domine, spes insuadibilis, claritas et redemptio sperandorum, iamduum apostolicis pro nostris humillimis syllabis precabimus almis obtutibus de tam crudeli et importabili ingerente malitia, quod gens perfida Langobardorum sanctae nostrarae ecclesiae invaserunt hereditatem, insuper et fidem pastoralem rectitudinis in ipsa Histriensi provincia abdicarunt et providentiae suae nuper usque

ordinationes ecclesiasticas non distollunt perficere. Nunc quidem oportunum nobis fuit, et valde cum lamentatione cordis, atque iterum omnia non solum postulare pro nostra redemptione apostolicis obtutibus nostri domini, verum etiam et declarare, quidquid nobis ipsi sevissimi Langobardi pro iussione regis sui exercent, quia, dum vestra coangelica iussio et auctoritas fuit apud regem nobis, ecclesiae nostrae omni in re contradicere de hereditatu, ut mos erat antiquitus, factum est; sed, qualiter humiliter sugeramus de eorum illusione, plenius ignoramus. Imprimis ipsum in parvo, quod est dilaniatum, qualiter ipsi volunt, relaxant, nec permittunt actores sanctae ecclesiae nostrae ex nostra preceptione aliquid ibidem iuris exhibere, sed ipsi protervi praevericatores episcopi magis magisque contumaces consistunt et contraria gerunt. Unde die noctuque proclamantes, terra prostrati ac si presentialiter ante apostolici nostri domini obtutibus erimus, propter redemptionem omnium nostrorum, unde noster pius, egregius, solertissimus dominus agone preceptionis suae auctoritatis sibi a beato concessae Petro iam enituit, nunc deposci [et] perlustrari, ut saeviente mercenarii morsu oppiletur os et dispersa grex innocens Istriensis provinciae per vigore apicibus vestris apostolicis certaminibus merita revocetur ad caulas salutis, ut, sicut a priscis temporibus sub uno pastorali gubernaculo fuit grex adscita, conscientia ovili, precamus, de manibus gentis eripiatur Langobardorum, ut vigor et dignitas beati Petri et vestra pollulet satis, ut iam amplius ab ipsis perfidis Langobardis sanctorum patrum non praevericetur canonica norma nec sanctarum ecclesiarum Dei obscurentur luminaria nec pauperes populi, qui magnam vim sub eorundem horribile iugum assidue sustentant, amplius iam dilanientur eorum oppressionibus, sed, redempti a Domino et a beato Petro per magni et benigni pastoris agonem, pro vita et incolunitate nostri apostolici domini incessanter Christi Dei nostri misericordiam ingemiscentes valeant exorare. Quia, et ut certum sit potestati vestrae plenissime, sicuti qui sitiens in ardore ad fontem vivum velocius concurrit, ita et populus Iстriae provinciae redemptionem et protectionem a Deo et

beato Petro per vestram apostolicam dispositionem desiderant et expectant, cognoscentes magnam et ineffabilem Dei nostri misericordiam, quam erga Ravennatum civitatem eiusque pertinentibus oppidis et finibus per vestra apostolica auctoritate et defensione ostendere dignatus est. Quia iam non sufferunt pauperes illi quotidianis diebus collectas faciendo Langobardarum, tam milites quamque famuli omnium ecclesiarum necnon et quae prima est dominica nostra sancta Romana ecclesia, sine reverentia, et de eius servientibus, sicut et de nostra et aliis ecclesiis, aequales collectas ex tritico et singula animalia [et] assiduam consuetudinem faciunt: quod nunquam auditum est in provincia illa, quamque nec potest quispiam duobus servire dominis. Nostra autem parvitas, proxime manens et haec omnia veraciter perscrutans, clamorem pauperum, que subvenire nequeo, vestris mitissimis auribus intimare presumo, confidentes in magna misericordia omnipotentis Dei nostri pro beati Petri intercessionibus dignis, quod vester apostolicus apex haec cuncta superius adscripta forte citius valebit eicere et perpetua securitate condonare. Ob his enim omnibus superius insertis capitulis cunctarum omnium nostrarum importabili tribulatione et nimia oppressione coacti absolvere festinavimus una cum consensu sanctorum Dei filio, Mauricio, consuli et imperiali duci huius Venetiarum provinciae, presentes viros, humilimos vestros, Magno, presbitero et scriinario nostro, sed et Constantio tribuno, gerolis nostris, quos, quasi praesimaliter domino nostro osculantes vestigia, quaeso commendatos habere. Ad quorum et nostrae iniunctionis eloquium meus apostolicus dominus dignas jubeat inclinare aures tam verbotinus quamque et per capitulare designato. Plenissima eorum adsit apostolicae vestrae potestatis credulitas, commendantes nostram fragilitatem vestris apostolicis atque coangelicis optutibus, nunc et semper.

31. - 771-2. Papa Stefano III (IV) ordina ai vescovi Istriani di tornare all'obbedienza dell'arcivescovo gradense.

FONTI: Arch. Stato, Venezia, codice Trevisaneo, c. 11, n. 9; cod. mare. lat. XIV, 74, c. 278; 77, c. 145.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.* III, 714.

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis per universam provinciam Istriam constitutis.

Quisquis sacerdotali praeditus non dicam honore, sed onere, existunt, necesse est, ut canonica sanctorum patrum traditione tantum se observandum tota mentis integritate exhibeat, quantum nimurum constat transgressoribus dignae ultionis et in hac vita de propriis reatus excessibus vindictam inferri et venturo in seculo ante tribunal Dei condemnationis atque cruciatus poenam irrogari. Unde necesse est omnibus huic sacro deditis officio in huiuscemodi canonicae sanctionis norma diutissime permanere et nulla penitus ratione a recto itineris tramite quibuslibet secularibus persuasos fribolis presidiis deviare presumat, ne tanti ponderis sibi regimen confertum detrimentum potius quam lucri stipendia pariat. Itaque pervenit ad nos, nuncio precurrente, quod vos omnes episcopi ipsius Istriae provinciae constituti, qui canonica traditione a priscis temporibus sub iuris districione ac consecratione sanctae Gradensis ecclesiae archiepiscopatus esse videmini, nunc, quod cum magno cordis dolore dicimus, secularibus convolantes auxiliis ab eadem episcopatus sede, protervo spiritu inflati, recedere presumpsistis et inter vos, quod numquam auditum est, unus alterutrum vosmet ipsis consecratis. Unde commissa nos pastoralis cura compulit apostolicae correptionis apicibus vos argui, ut talis prava et inaudita temeritas canonicae correptionis framea abscidatur. Quam ob rem ecce auctoritate domini nostri beati Petri apostolorum principis, cuius, licet immeriti, Deo tamen dignante, vices gerimus, magnis per huius nostrae relationis seriem interdicimus sub anathematis interpositionibus vobis omnibus contu-

macibus ac transgressoribus canonicae institutionis ipsius Istriæ provinciae episcopis, ablegantes vos atque privantes a sacerdotali honore vestro; ita ut et vos, qui ipsos enormiter consecrare presumpsistis episcopos, et, si qui a vobis illicite consecrati sunt, a proprio sacerdotali honore atque a sacro officio, quo fungere videmini, recedere debeatis vestroque vos archiepiscopo cum magna humilitate et cordis lamentatione nequiter vos degisse deflentes subicere studeatis, in eius vos iudicii arbitrio et canonica de huiuscmodi prolata transgressionis reatu sententia submittentes. Nam si, quod non credimus, et istius nostrae apostolicae interdictionis obligationem transgredi presumpseritis, sciatis auctoritate apostolorum principis beati Petri, coelorum regni clavigeri, et cui a domino Deo in coelo ac terra ligandi solvendique concessa est potestas, anathematis vinculo esse innodati et a regno Dei alienati atque cum diabolo et eius atrocissimis pompis sicut transgressores sanctorum patrum canonicae traditionis deputati, quoniam scriptum est: «Terminos patrum nostrorum nulla auctoritate inilicite temeritatis transgredi presumite» (*Prov. 22. 28*), et iccirco oportunitatis exigit ratio protertos et transgressores canonicae institutionis correptionis freno constringi et digne emendationis vindicta percelli.

**32. — 771-72. Stefano III a Giovanni,
arcivescovo di Grado.**

FONTI: cod. marc., lat. Zanetti, 400, c. 61; cod. bibl. naz. Torino, I, iv, 7.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 715; Dandolo, *Cronica*, ed. cit., p. 120.

Reverentissimo et sanctissimo fratri Iohanni episcopo Stephanus, servus servorum Dei, episcopus.

Susceptis igitur conspicuis sanctitatis vestrae apicibus eisque relectis, magna te, reverentissime frater, angustia moeroreque fore attritum cognovimus a perfidis et malignis aemulis vestrae Istriarum provinciae. Pro quo et noster protinus animus eadem lugubria attritus est, sed tamen

fas nequaquam exigit nostras vestrasque mentes hoc momento odio affici et moerore, quoniam certo confidimus, quod iam prope est Dominus, ut arrogantium ferocitatem deiciat et humilium lacrimarum ac gemituum erumpniosis consoletur fletibus. Quippe nos, carissime frater, Deo propitio, totis viribus inhianter satagimus decertandum, sicut predecessor noster sanctae recordationis dominus Stephanus papa, ut vestra sit redemptio atque salus et immensa securitas, quemadmodum nostra opitulante divina misericordia proficiat, quoniam in nostro pacto generali, quod inter Romanos, Francos et Longobardos dignoscitur provenisse, et ipsa vestra Istriarum provincia constat esse confirmata atque annexa simulque et Venetiarum provincia. Ideo confidebat in Deo immutabili sanctitas tua, quia ita fideles beati Petri studuerunt ad serviendum iureiurando beato Petro apostolorum principi, et eius omnibus vicariis, qui in sede ipsius apostolica usque in finem seculi sessuri erunt, in scriptis contulerunt promissionem, ut, sicut hanc nostram Romanorum provinciam et exarchatum Ravennatum, et ipsam quoque vestram provinciam pari modo ab inimicorum oppressionibus semper defendere procurent. Petisti etiam, sanctissime frater, corripi episcopos Istriae, ut a tanta et iniqua resipiscant temeritate. Qui quidem tuis annuentes votis, nostra apostolica scripta eisdem contumacibus episcopis direximus, tam illis, qui eandem illicitam perpetrare ausi sunt consecrationem, quamque eis, qui ab ipsis enormiter ordinati sunt, allegantes eos validis interdictionibus, atque a sacro sacerdotali officio et proprii honoris dignitate, sicut contemptores, privare studuimus.

33. - 774. *Donazione di Carlo Magno a papa Adriano.*

FONTE: *Liber pontificalis ecclesiae Romanae, Vita Hadriani I,* c. IV, 6.

EDIZ.: Duchesne, *Liber pontificalis ecclesiae romanae etc., in • Pubbl. des écoles françaises d'Athènes et de Rome*,

At vero quarta feria egressus praenominatus pontifex -

adhortare studuit, ut promissionem illam, quam eius sanctae memoriae genitor Pippinus, quondam rex, et ipse precellentissimus Carolus cum suo germano Carulomanno atque omnibus iudicibus Francorum fecerant beato Petro et eius vicario sanctae memoriae domno Stephano iuniori papae – adimpleret in omnibus. Cumque ipsam promissionem, quae Francia in loco, qui vocatur Carisiaco, facta est, sibi relegi fecisset, complacuerant illi et eius iudicibus omnia, quae ibidem erant annexa. Et propria voluntate bono ac libenti animo aliam donationis promissionem ad instar anterioris ipse antedictus praecellentissimus et revera christianissimus Carolus, Francorum rex, adscribi iussit per Etherium religiosum ac prudentissimum capellanum et notarium suum, ubi concessit easdem civitates et territoria beato Petro easque praefato pontifici contradidi spopondit per designatum confinium, sicut in eadem donatione continere monstratur: id est, a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, id est in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio et exinde in Mantua atque Monte Silicis, simulque et universum exarchatum Ravennatum, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum et Istriae, necnon et cunctum ducatum Spoletinum seu Beneventanum. Factaque eadem donatione et propria sua manu ipse christianissimus Francorum rex eam conborans, universos episcopos, abbates, duces etiam et granfiones in ea adscribi fecit etc.

34. – 775, 27 ottobre. *A d r i a n o p a p a a C a r l o M a g n o .*

FONTE: *Codex carolinus*, n. 54. (cod. Vindobon., n. 449, c. 57 sg.).
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 576 sg.

Domino excellentissimo filio Carolo, regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum, Hadrianus papa.

Itaque innotescimus excellentiae vestrae suscepisse nos epistolam directam nobis a Iohanne patriarcha

Gradensi. Vicesima septima enim die octobrii mensis ipsa ad nos pervenit epistola, et protinus nec potum nec cibum sumsimus usque nos neque huius scriptor nostrae apostolicae relationis, sed eadem hora eodemque momento ipsam antefati patriarchae epistolam cum his nostris apostolicis syllabis vobis transmisimus. Itaque valde tristes effecti sumus, quoniam sifoniatas bullas eiusdem epistolae repperimus; a Leone archiepiscopo primitus relecta, nobis directa est. Et in hoc comprobare potest excellentissima christianitas vestra, qualis est fraudulenta fides ipsius Leonis archiepiscopi, quia non pro alio praesumsit eandem epistolam primitus reserare ac relegere, nisi ut omnia, quae ibi ascripta sunt, ut certe omnibus manifestum est, adnuntiaret tam Arghis, duci Beneventano, quamque reliquis nostris vestrisque inimicis. Et dubium non est, cuncta iam praelatis emulis ab eodem archiepiscopo esse adnuntiata. Nos quidem, veritate testante, coram Deo dicimus puriter et fideliter, in vestro permanentes amore, ea, quae ad nos perveniunt, de praesenti cum magna cautela vobis studemus denuntianda

Embolum de Leone archiepiscopo. Et enim innotescimus christianitati vestrae, eo quod, quando a vestra regalia vestigia reversus est Leo antefatus archiepiscopus, in magnam superbiam ac tyrannicam elationem pervenit et nullo modo, sicut antea, nostris apostolicis obtemperare inclinatus est mandatis etc.

35. — 776-780. Adriano I a Carlo Magno.

FONTE: *Codex carolinus*, n. 57 (cod. Vindob., n. 449, c. 61).
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 590.

Domino excellentissimo filio Carolo, regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum, Hadrianus papa.

Credimus quod iam vestrae a Deo protectae excellentiae auribus pervenisset de episcopo Mauricio Histriense, qualiter, dum eum fidelem beati Petri et nostrum cognos-

vissent nefandissimi Greci, qui ibidem in praedicto territorio residebant Histriense, et dum per vestram excellentiam dispositus fuit praenominatus Mauricius episcopus, ut pensiones beati Petri, qui in superius nominato territorio reiacebant, exigeret, et eas nobis dirigere debuisset, zelo ducti tam praedicti Greci quamque de ipsis Histriensibus eius oculos eruerunt, proponentes ei, ut quasi ipsum territorium Histriense vestrae sublimi excellentiae tradere debuisset. Propterea petimus a Deo protectam excellentiam vestram, amantissime fili et magne rex, ut iubeas dirigere Marcario duci praecipiendum, ut iamfatum Mauricium episcopum, qui in visione vestrae excellentiae praesentatus est, ut eum in suo episcopio reverti faciat pro vestrae animae mercede, eo quod ipse iam dictus episcopus ad nos properavit et nos eum iterum direximus (ad) Marcario, duci Foroiuliensi, ut, qualiter a vobis fuerit dispositus, ita peragere debeat. Et hoc petimus excellentiam vestram, ut per vestrum congruum dispositum ipse adpraehendatur, prout salus populi, qui ibidem commoratur, proveniat.

Incolumen excellentiam vestram gratia superna custodiat.

36. – 785. Adriano I papa a Carlo Magno.

FONTE: *Codex carolinus*, n. 86 (cod. Vindob., n. 449, c. 79).
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 622 sg.

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo, regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum, Hadrianus papa.

Ad aures clementissimae regalis excellentiae vestrae intimantes innotescimus, quia, dum vestra regalis in triumphis victoria praecipiendum emisit, ut a partibus Ravennae seu Pentapolii expellerentur Venetici ad negotiandum, nos illico partibus illis emisimus, vestram adimplentes regalem voluntatem. Insuper et ad archiepiscopum praecipiendum direximus, ut in quolibet territorio nostro iure

sanctae Ravennate ecclesiae ipsi Venetici presidia atque possessiones haberent, omnino eos exinde expelleret et sicuti ecclesiae suae iura manibus suis tenere.

Incolumen excellentiam vestram gratia superna custodiat.

37. — 803, 21 marzo. *Leone III concede il pallio al patriarcha Fortunato.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 15 e 17, n. 11 e 13; cod. marc. lat. XIV, 74, c. 281; 77, c. 146; cod. marc. Zanetti latini, 400, c. 64 v. e sg.; cod. bibl. Torino, I, iv, 7.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1094; Migne, *Patrologia latina*, CXXIX, 969; Dandolo, *Cronica*, ed. cit., p. 126 sg.

Leo episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri Fortunato, patriarchae Gradensis ecclesiae. Diebus vitae tuae tantummodo officium sacerdotis assumere, si interiori vigilancia perpendamus, plus est oneris quam honoris, quippe qui propria curare non sufficit, nisi et salubriter gesserit aliena. Nam ad hoc pastoralis regiminis curam aggreditur, ut aliorum in se sollecitudinem pia provisione suscipiat, et in eorum sub se custodia vigilanter disponat, ut lupus, insidians possibilitatem, in eo irrumpendi non habeat, nec laesionem ovibus inferat. Sic, qui animarum curam suscepimus, assiduam debemus sollicitudinem exercere, ut callido antiquoque humani generis inimico aditum paecludamus et totis contra eius voracitatem viribus obsistamus, ne nostra forte desidia rabida, quod absit, quemquam fauce deglutiat, et eius ad nostram non immerito applicetur poenam perditio, qui commissos sollicita custodire cautela negligimus. Exhibeamus ergo quod dicimus, et quibus divini dispensatione consilii praeesse nos contigit, prodesse, quantum possumus, festinemus, ut, dum creditor rationem nobiscum positurus advenerit, lucrum nos fecisse reperiatur et sua, sicut promisit, remunerazione laetificet. Hoc itaque, frater clarissime, considera, et locum, quem adeptus es, non ad

requiem, sed ad laborem te suscepisse cognosce. Adhortationis ope fidelium corda corroborata, in fidelium vero summo opere converte. Quod ut facilius assequi merearis, praedicationem tuam vita commendet; ipsa eis instructio, ipsa magistra sit; ad desiderium aeternae vitae, docente, suspirant, tuo viventes exemplo, et perveniant; temporalia despiciant, et, quae transitoria sunt contemnentes, ad ea, quae semper durant, quae nullo fine clauduntur, desideria anhelent. In his igitur studium adhibe, in his tota mentis intentione persiste, quatenus, dum tua praedicatione atque imitatione haec fuerint consecuti, tanto maiora a Deo nostro recipias, quanto congrua sollicitudine lucrantis ei animabus officii tui exercere operam minime destitisti. Pallium praeterea juxta antiquam consuetudinem fraternitati tuae dedimus, quo ita uti memineris, sicuti praedecessores nostri tuis praedecessoribus concessere, privilegiorum suorum scilicet integritate servata. Fidem autem fraternitati tuae, quamvis in epistola tua, quam direxisti, subtiliter debuisses exponere, verumtamen laetamur in Domino, quia eam rectam esse ex solemani symboli confessione didicimus (1). Oramus autem omnipotentem Do-

(1) *In altra copia del Codice Trevisaneo, c. 17 v. si legge la seguente variante inserita nel testo: Praeterea pervenit ad nos, quod sacri ordines in illis partibus cum datione commodi conferantur. Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio, quia, cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe evangelium, quod redemptor noster per semet ipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas revertit. Columbas enim vendere est de Sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem *** hominibus tribuit commodum temporale percipere, ex quo praedixit, iam malo imbuitur, qui subsequitur, quia, qui in templo Dei columbas vendere presumpserunt, eorum, Deo iudice, cathedrae ceciderunt. Qui videlicet in subditis cum augmento praeparatur, nam in ipsa proiectus sui radice viciatur, paratus est aliis venundare quod emit. Et ubi est quod scriptum est: «gratis accepistis, gratis date», et cum primam sanctam ecclesiam symoniaca haeresis sit adhorta, cur non perpenditis, cur non videtis, quoniam, cum quisquam cum praecio ordinat, provehendo ait ut hereticus fiat. Pro qua re admoneo atque obtestor, ut omnino debeas esse sollicitus, ut nihil sibi commodi datio, nil gratia, nil quarumlibet suplicatio personarum in sacris ordinibus vin-*

minum, ut sua te munitione circumtegat et sacerdotii suspectum officium operibus implere concedat.

Scriptum per manum Benedicti, notarii et scrinarii sanctae Romanae ecclesiae, in mense martio, indict. XI.
Bene valete.

Datum XII kal. april. per manum Eustachii, primicerii sanctae sedis apostolicae, imperante nostro domino Carolo, piissimo perpetuo augusto, a Deo coronato, magno et pacifico imperatore, anno tertio pacis eiusdem domini nostri, ind. XI.

38. – 803, 13 agosto. Carlo Magno conferma al patriarca Fortunato l'immunità per le sue proprietà nel regno.

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 16 e 19, n. 12 e 15; cod. marc., latini XIV, 74, c. 279; 77, c. 145; Zanetti lat. 400, c. 65 v.; cod. bibl. naz. Torino, I, iv, 7.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Dipl. Karolin.*, I, 269 sg.; Dandolo, *Cronica*, ed. cit., p. 128.

Carolus, serenissimus augustus, a Deo coronatus, magnus et pacificus imperator, romanum gubernans imperium et per misericordiam Dei rex Franchorum et Langobardorum. — Maximum regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si petitionibus sacerdotum vel servorum Dei, quae nostris auribus fuerint prolatae, libenter annuamus et eas in Dei nomine ad effectum perducamus. Igitur notum sit omnibus fidelibus nostris praesentibus et futuris, qualiter vir venerabilis Fortunatus, Gradensis patriarcha, sedis Sancti Marci evangelistae et Sancti Hermacorae episcopus, serenitati nostrae petiit, ut tale beneficium circa memoratam sanctam ecclesiam ex nostra indulgentia concedere et confirmare deberemus, quatenus sub immunitatis nomine tam ipse quam sacerdotes et reliqui nec non servi et coloni, qui in terris suis

dicit, sed ille ad hoc officium perducatur, quem morum gravitas commendat et actio, ne (quod non credimus), si fieri tale aliquid senserimus. canonica illud (ut dignum est) severitate corrigamus.

comandan in Istria, Romandiola seu Longobardia vel ubique, quieto tramite vivere et residere debeant. Cuius petitionem eius servitio et meritis compellentibus denegare noluimus, sed pro mercedis nostrae augmento in Dei nomine ita concessisse et in omnibus confirmasse cognoscite (tam episcopia, quam et xenodochia vel ecclesiastis baptismales). Praecipientes ergo iubemus, ut in vicis vel villis seu rebus vel reliquis possessionibus quibuslibet, undecumque praesenti tempore praefatus patriarcha iuste et rationabiliter vestitus esse dinoscitur, nullus iudex publicus iniuste ad causas audiendum vel ad freda (cod.: *pheuda, predia*) exigendum, nec mansiones seu paratas faciendum, nec ulla redhibitiones iniustas requirendum exigere aut exactare poenitus praesumant, sed, dum praedictus Fortunatus patriarcha vixerit, sub immunitatis nomine tam ipse quam eius successores et coloni ac servi, qui super terras suas comandan, vel reliqui homines sui valeant ex nostra indulgentia quieto tramite vivere ac residere, ita ut melius eis delectetur pro nobis vel pro stabilitate regni nostri iugiter domini misericordiam exorare. Et ut haec auctoritas firmior (cod.: *firmiter*) habeatur vel per tempora melius conservetur, manu propria subter firmavimus et de anulo nostro sigillari iussimus.

Signum (*m*) Caroli gloriosissimi imperatoris.

Hagdingus ad vicem Ercambaldi.

Data idibus augusti (1), anno III, Christo propitio, imperii nostri, trigesimo tertio regni nostri in Francia et vigesimo octavo in Italia. Actum Salcio.

39. – 803, agosto (?). *Carlo imperatore concede al patriarca Fortunato esenzione da oneri per quattro navi.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 19 r, n. 14; cod. marc. lat. XIV, 74, c. 280; 72, c. 145 t.

EDIZ.: Sickel, *Beiträge zur Diplomat.*, in «Sitzungsberichte der K. K. Ak. d. Wissenc., Wien», vol. 49, V, 398; Mon. Germ. Hist., *Diplom. Karolin.*, I, 270.

(1) Postilla inserita nel testo: in sacro palatio nostro.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Karolus, serenissimus augustus, a Deo coronatus, magnus, pacificus imperator, romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Franchorum et Longobardorum. — [Maximum regni nostri in hoc loco augere credimus munimentum, si petitionibus sacerdotum vel servorum Dei, quae nostris auribus fuerint prolatae, libenter annuamus et eas in Dei nomine ad effectum perducamus]. Igitur omnibus fidelibus nostris presentibus et futuris notum sit, quia petiti celsitudinem nostram vir venerabilis Fortunatus, Venetiarum et Istriensium patriarcha, ut teloneum de navibus suis quattuor ei concedere deberemus. Cuius petitionem eius servitio et meritis compellentibus denegare nolimus, sed ita in helemosina nostra concessisse et in omnibus confirmasse agnoscite. Precipientes enim iubemus, ut nullus quilibet de fidelibus nostris de superscriptis navibus quattuor Fortunati patriarchae ullum teloneum, nec siliquaticum, nec laudaticum, nec cispitatum, neque ulla redhibitiones ab hominibus suis pro hoc exigere vel exactare presumat, sed liceat ei suprascriptis navibus quattuor ubicumque in regno, Christo propitio, nostro negotiando pro utilitate sanctae suae ecclesiae absque ullius detentione vel contradictione, ubicumque voluerit, pergere et iterum in Dei nomine ad propria remeare (1). Et ut haec auctoritas firmior (cod. : *firmiter*) habeatur vel per tempora melius conservetur, de anulo nostro subter sigillari iussimus.

40. – 804, ante nov. (?) *Placito di Risano.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, codice Trevisaneo, c. 21 sg., n. 16; cod. marc. lat. X, 181, c. 18; 318, p. 26.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1097; Kandler, *Cod. dipl. istr.*, I, s. a. 804.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

(1) *Postilla inserita nel testo:* Hoc autem non solum Fortunato, verum etiam cunctis successoribus eius concedimus.

Cum per iussionem piissimi atque excellentissimi domini Caroli Magni imperatoris et Pippini regis, filii eius, in Istria nos missi eorum directi fuissemus, idest Izzo praesbiter, atque Cadolao et Aio comites pro causis sanctorum Dei ecclesiarum, pro justitia Dominorum nostrorum, seu et de violentia populi, pauperum, orphanorum et viduarum, primis omnium venientibus nobis in territorio Caprense, loco, qui dicitur Riziano, ibique adunatis venerabili viro Fortunato patriarcha, atque Theodoro, Leone, Stauratio, Stephano, Laurentio episcopis et reliquis primatibus, vel populo provinciae Istriensis, tunc eligimus de singulis civitatibus seu castellis homines capitaneos numero centum septuaginta et duos, fecimus eos iurare ad sacrosancta quattuor Dei evangelia et pignora sanctorum, ut omnia, quicquid scirent, de quo nos eos interrogaverimus, dicant veritatem, in primis de rebus sanctorum Dei ecclesiarum, deinde de justitia Dominorum nostrorum, seu de violentia vel consuetudine populi terrae istius, orfancrum, viduarum, quod absque ullius hominis timore nobis dicerent veritatem.

Et ipsi detulerunt nobis breves per singulas civitates vel castella, quos tempore Constantini seu Basilii, magistri militum, fecerunt, continentes quod a parte ecclesiarum non haberent adiutorium nec suas consuetudines.

Fortunatus patriarcha dedit responsum, dicens: « Ego nescio, si super me aliquid dicere vultis. Verumtamen vos scitis omnes consuetudines, quas a vestris partibus sancta ecclesia mea ab antiquo tempore usque nunc dedit; vos mihi eas perdonastis, propter quod ego, ubicumque potui, in vestro fui adiutorio, et nunc esse volo, et vos scitis quod multas dationes vel missos in servitium domini imperatoris propter vos direxi. Nunc autem qualiter vobis placet, ita fiat ».

Omnis populus unanimiter dixerunt: « Quod antea tunc et nunc et plura tempora pro nostro largitur, ita sit, quia multa bona [a] parte [vestra] habuimus et habere credimus, excepto, quando missi Dominorum nostrorum venerint, antiquam consuetudinem vestra familia faciat ».

Tunc Fortunatus patriarcha dixit: « Rogo vos, filii, nobis dicere veritatem. Qualem consuetudinem sancta ecclesia mea metropolitana in territorium Istriense inter vos habuit? ».

Primus omnium primas Pollensis dixit: « Quando patriarcha in nostram civitatem veniebat, et, si opportunum erat, propter missos Dominorum nostrorum aut aliquo placito cum magistro militum Graecorum habere, exibat episcopus civitatis nostrae cum sacerdotibus et clero vestiti planetas cum cruce, cereostados et incenso, psallendo, sicuti Summo Pontifici, et iudices una cum populo veniebant cum signis, et cum magno etiam recipiebant honore. Ingredientem autem ipsum pontificem in domum sanctae ecclesiae nostrae, accipiebat statim ipse episcopus claves de sua domo et ponebat eas ad pedes patriarchae. Ipse autem patriarcha dabat eas suo maiori et ipse iudicabat et disponebat usque in die tertia: quarta autem die ambulabat in suum rectorio ».

Deinde interrogavimus iudices de aliis civitates sive castella, si veritas fuisset ita. Omnes dixerunt: « Sic est veritas, et sic adimplere cupimus. Nos vere amplius super patriarcha dicere non possumus.

« Peculia autem vestra dominica, ubicumque nostra pabulant, ibique et vestra pascant absque omni datione: volumus ut in antea ita permaneat.

« Nam vero super episcopos multa habemus quod dicere:

« I. capitulo: Ad missos imperii sive in quacumque datione aut collecta medietatem dabat ecclesia, et medietatem populus.

« II. capitulo: Quando missi imperii veniebant, in episopiis habebant collocationem, et, dum interim reverti deberent ad suam dominationem, ibique habebant mansionem.

« III. capitulo: Qaecumque cartulae emphitheoseos, aut libellario iure, vel non dolosae commutations numquam ab antiquum tempus corruptae fuerunt, et ita ut nunc fiunt.

« IIII. capitulo: De herbarico, vel glandatico nun-

quam aliquis vim tulit inter vicora, nisi secundum consuetudinem parentorum nostrorum.

« V. capitulo: De vineis nunquam in tertio ordine tulerunt, sicut nunc faciunt, nisi tantum quarto.

« VI. capitulo: Familia ecclesiae nunquam scandala committere adversus liberum hominem, aut cedere cum fustibus, etiam nec sedere ante nos ausi fuerunt: nunc autem cum fustibus nos cedunt, et cum gladiis sequuntur nos. Nos vero propter timorem Domini nostri non sumus ausi resistere, ne peiora accrescant.

« VII. Quis terras ecclesiae femorabat, usque ad tertiam repreensionem nunquam eos foras ejiciebat.

« VIII. Mare vero publica, ubi omnis populus communiter piscabant, modo ausi non sumus pescare, quia cum fustibus nos cedunt et retia nostra concidunt.

« IX. capitulo, unde nos interrogastis de justitiis Dominorum nostrorum, quas Greci ad suas tenuerunt manus usque ab illo die, quod ad manus Dominorum nostrorum pervenimus, ut scimus, dicimus veritatem. De civitate Pollensi solidi mancosi sexaginta et sex; de Ruvingio solidi mancosi quadraginta; de Parentio mancosos sexaginta sex; Numerus Tergestinus mancosos sexaginta; de Albona mancosos triginta; de Pedena mancosos viginti; de Montona mancosos triginta; de Pinguento mancosos viginti; cancellarius Civitatis novae mancosos duodecim. Qui faciunt insimul mancosos CCCXLIV. Isti solidi tempore Graecorum in palatio eos portabat. Postquam Joannes devenit in ducatu, ad suum opus istos solidos habuit, et non dixit pro justitia palatii fuisset.

« Item habet casale Orcionis cum olivetis multis.

« Item portionem de casale Petriolo, cum vinceis, terris, olivetis.

« Item omnem portionem Iohannis Cancianico, cum terris, vineis, olivetis et casa cum turculis suis.

« Item possessionem magnam de Arbe cum terris, vineis, olivetis et casa sua.

« Item possessionem Stephani, magistri militum.

« Item casam Ierontiacam cum omni possessione sua.

« Item possessionem Mauritii ypati seu Basilii, magistri militum instar, et de Theodoro ypato.

« Item possessionem, quam tenet in Piatello, cum terris, vineis et olivetis, et plura alia loca.

« In nova Civitate habet fischo publico, ubi commanet, intus et foras civitate amplius quam duos centum colonos; per bonum tempus reddunt oleo amplius quam centum media, vino magis quam amphoras ducentum, alivano seu castaneas sufficienter. Piscationes vero habet, unde illi veniunt per annun amplius quam quinquaginta solidi mancosi absque sua mensa ad satietatem.

« Omnia ista dux ad suam tenet manum, exceptis illis CCCXLIV solidis, sicut supra scriptum est, quod in palatio deberet ambulare.

« De forcia, unde nos interrogastis, quam Ioannes dux nobis fecit, quod scimus, dicimus veritatem.

« I. capitulo. Tulit nostras silvas, unde nostri parentes herbarico et glandatico tollebant. Item tulit nobis casale inferiore, unde parentes nostri, ut super diximus, similiter tollebant. Modo contradixit nobis Ioannes.

« Insuper Sclavos super terras nostras posuit: ipsi arant nostras terras et nostras runcora, segant nostras pradas, pascunt nostra pascua, et de ipsis nostris terris reddunt pensionem Ioanni.

« Insuper non remanent nobis boves, neque caballi. Si aliquid dicimus, interimere nos dicunt. Abstulit nostros cofinos, quos nostri parentes secundum antiquam consuetudinem ordinabant.

« II. cap. Ab antiquo tempore, dum fuimus sub potestate Grecorum inperii, habuerunt parentes nostri consuetudinem habendi actus tribunati, domesticos, seu vicarios, nec non locoservatores, et per ipsas honores ambulabant ad communionem et sedebant in congressu, unusquisque per suum honorem, et, qui volebant meliorem honorem habere de tribuno, ambulabat ad Imperium, quod ordinabat illum ypato. Tunc ille, qui imperialis erat ypatus, in omni loco secundum illum magistrum militum procedebant.

« Modo autem dux noster Joannes constituit nobis

centarchos, divisit populum inter filios et filias vel generum suum, et cum ipsis pauperes aedificant sibi palatia. Tribunatus nobis abstulit. Liberos homines non nos habere permittit, sed tantum cum nostros servos facit nos in hoste ambulare; libertos nostros abstulit; advenas homines ponimus in casas vel cetera nostra, nec in ipsis potestatem habemus.

« Graecorum tempore omnis tribunus habebat excusatos quinque, et amplius, et ipsis nobis abstulit.

« Fodro numquam dedimus; in curte numquam laboravimus; vineas numquam laboravimus; calcarias numquam fecimus; casas numquam edificavimus; tegorias numquam fecimus; canes numquam pavimus; collectas numquam fecimus, sicut nunc facimus; pro unoquoque bove unum modium damus; collectas de ovibus numquam fecimus, quomodo nunc facimus; unoquoque anno damus pecora et agnos; ambulamus navigio in Venetias, Ravennam, Dalmatiam, et per flumina, quod numquam fecimus. Non solum Joanni hoc facimus, sed etiam ad filios et filias seu generum suum. Quando ille venerit in servitium domini Imperatoris ambulare aut suos dirigere homines, tollet nostros caballos, et nostros filios cum forcia secum ducit, et facilit eos sibi trahere saumas procul fere trlginta et amplius millia, tollit omnia eis quidquid habent, solummodo ipsa persona ad pedes remeare facit in propria. Nostros autem caballos aut in Francia eos dimittit, aut per suos homines illos donat.

« Dicit in populo: ‘ Colligamus exenia ad dominum Imperatorem’, sicut tempore Grecorum faciebamus, ‘ et veniat missus de populo una mecum, et offerat ipsis exenios ad dominum Imperatorum’. Nos vero cum magno gaudio colligimus. Quandoque venit ad ambulare, dicit: ‘ Non vobis oportet venire; ego ero pro vobis intercessor ad dominum Imperatorem’. Ille autem cum nostris donis vadit ad dominum Imperatorem, placitat sibi vel filiis suis honorem, et nos sumus in grandi oppressione et dolore.

« Tempore Grecorum colligebamus semel in anno, si necesse erat, propter missos imperiales de centum capita ovium, qui habebat, unum. Modo autem, qui ul-

tra tres habet, unum exinde tollit, et nescimus in-tueri, per annum; sui actores exinde prendunt. Ista omnia ad suum opus habet dux noster Ioannes, quod nunquam habuit magister militum Grecorum, sed semper ille tribunos dispensabat ad missos imperiales et ad legatarios eentes et redeuntes. Et istas collectas facimus, et omni anno volendo nolendo quotidie collectas facimus.

« Per tres vero annos illas decimas, quas ad sanctam ecclesiam dare debuimus, ad paganos dedimus, quando eos super ecclesiarum et popolorum terras nostras misit in sua peccata et nostra perditione.

« Omnes istas angarias et superpositas, quae praedictae sunt, violenter facimus, quod parentes nostri numquam fecerunt; unde omnes devenimus in paupertatem, et invident nostros parentes, et quicumque convicini nostri Venetias et Dalmatias, etiam Graeci, sub cuius antea fuimus potestate. Si nobis succurrit dominus Carolus imperator, possumus evadere: sin autem, melius est nobis mori, quam vivere ».

Tunc Joannes dux dixit: « Istan silvas et pascua, quae vos dicitis, ego credidi quod a parte domini Imperatoris in publico esse deberent: nunc autem, si vos jurati hoc dicitis, ego vobis non contradicam.

« De collectis ovium in antea non faciam, nisi ut antea vestra fuit consuetudo. Similiter et de exenio domini Imperatoris. De opere vel navigatione seu pluribus angariis, si vobis durum videtur, non amplius fiat. Libertos vestros reddam vobis secundum legem parentum vestrorum; liberos homines habere vos permittam, ut vestrarum habeant commendationem, sicut in omnem potestatem domini nostri faciunt.

« Advenas homines, qui in vestro resident, in vestra sint potestate. De Sclavis autem, unde dicitis, accedamus super ipsas terras, ubi resideant, et videamus: ubi sine vestra damnietate valeant residere, resideant; ubi vero vobis aliquam damnietatem faciunt sive de agris, sive de silvis, vel roncora, aut ubicumque, nos eos ejciamus foras. Si vobis placet, ut eos mittamus in alia deserta loca, ubi

sine vestro damno valeant commanere, faciant utilitatem in publico, sicut et caeteros populos ».

Tunc providimus nos missi domni Imperatoris, ut Ioannes dux dedisset vadia, ut omnia prelata superposita, glaudatico, herbarico, operas et collectiones, de Sclavis et de angariis, vel navigationes emendandum: et ipsas vadia receperunt Damianus, Honoratus et Gregorius. Sed et ipse populus ipsas concessit columnias in tali vero tenore, ut amplius talia non perpetrasset. Et si amplius istas oppressiones ille aut sui haeredes vel actores fecerint, nostra statuta componant.

De aliis vero causis stetit inter Fortunatum, venerabilem patiarcham, seu suprascriptos episcopos, sive Ioannem ducem, vel reliquos primates et populum, ut, quicquid jurati recordarent et dicerent secundum suum sacramentum et ipsas breves, omnia adimplerent, et qui adimplere noluerint, de illorum parte componat coactus in sacro palatio auro mancosos lib. novem. Haec dijudicati et convenientia facta est in praesentia missi domini Imperatoris Izone presbitero, Cadolao et Ajoni, et propriis manibus subscriperunt in nostra praesentia.

+ Fortunatus, misericordia Dei patriarcha, in hac repromotionis cartula antefacta manu mea subscrispi.

+ Ioannes dux in hac repromotionis cartula manu mea subscrispi.

+ Stauratius episcopus in hac repromotionis cartula manu mea subscrispi.

+ Theodorus episcopus.

+ Stephanus episcopus

+ Leo episcopus

+ Laurentius episcopus.

(S. N.). Petrus, peccator, diaconus sanctae Aquileiensis metropolitanae ecclesiae, hanc repromotionem ex iussione domini mei Fortunati, sanctissimi patriarchae, seu Joannis, glorioli ducis, vel suprascriptorum episcoporum et primatum populi Istriae provinciae scripsi et post roborationem testium cartulam roboravi.

41. – 806. Papa Leone III all'imperatore Carlo Magno.

FONTE: Bibl. Guelferbit., 287, cod. Helmestadii, 254, (sec. IX):
Leonis III epistolae, c. 7.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, V, 94 sg.

Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus, servus servorum Dei.

Dum vestrae imperiales syllabae de civitate in civitatem ad nos pervenissent, quae et a nobis susceptae ac relectae fuissent, repperimus in eis, quatenus a Gradense insula, ubi Fortunatus archiepiscopus suam propriam sedem habere videbatur, propter persecutionem Graecorum seu Veneticorum exsul esse dinoscitur, et, si congrue nobis apparuisset, pro causa necessitatis in Pola, ubi iam-dudum Emilianus quidam episcopus praefuit, quae et diocesis praedicti Fortunati archiepiscopi exsistit, illic suam sedem haberet; et qualiter vestra a Deo protecta imperialis potentia sine consultu apostolatus nostri nequaquam eum aliubi conlocare voluit.

Nos vero de hac re pertractantes praevidimus, ut, secundum qualiter vestrae imperiali clementiae complacuit, ut in Polana ecclesia persisteret, ita maneat, sub eo prorsus tenore, ut si, domino annuente et beato Petro apostolo protegente, per vestram in triumphis victoriaram ipsa sua sedis illi restituta fuerit, secundum qualiter praedicta Polana ecclesia integra cum omnia sibi pertinientia suscepit, sic iterum ea restituatur, et non de rebus eius aut pecunia ad suam debeat subtrahere sedem, sed neque cuiquam ex ipsis rebus seu pecuniis atque speciebus dare quoque modo praesumat, ut ipsa ecclesia semper inrefragabiliter cum suo antistite salva existere possit.

Reservatur siquidem in ipsis vestris imperialibus apicibus, quomodo in Aquis palatio nobiscum praevidistis, de Aquileiense ecclesia, velut una, quae suam sedem haberet. Credat enim nobis vestra clementia, eo quod, quicquid ibidem una vobiscum vel cum fratribus et coe-

piscopis nostris oratores vestri pertractavimus, omnia ad mercedem animae vestrae seu filiorum vestrorum esse conspicitur.

Omnipotens et misericors Deus per intercessionem sanctae suae genitricis sanctorumque apostolorum Petri ac Pauli diu vos in hoc mundo conservare dignetur et post multorum annorum curricula coelestia regna cum sanctis omnibus faciat adipisci.

Piissimum Domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

E m b o l i m . Et hoc vestrae serenitati intimare curavimus de praefato Fortunato, ut, sicut semper pro illius honore temporale laboratis, ita et de anima eius curam ponatis, ut per vestrum pavorem suum ministerium melius expleat. Quia non audivimus de eo, sicut decet de archiepiscopo, neque de partibus istis, neque de partibus Franciae, ubi eum beneficiastis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles vestros, et omnia vobis nota fiant, eo quod illi, qui vobis eum conlaudant, hoc per munera et calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile est quam vestra dulcissima anima? Et Deus cognitor est, quia post salutem animae vestrae haec omnia vobis insinuamus, eo quod de tanto amore, quem erga vestrarum serenitatem gerimus, ideo silere non possumus.

Potestis interrogare fratrem nostrum Hildibaldum archiepiscopum et Ercanbaldum cancellarium. Fortasse aliquid exinde cognoverunt. Quia cognovimus eos animae vestrae fideles in omnibus.

42. — 813, 11 nov. Leone III papa all' imperatore Carlo Magno.

FONTE: Bibl. Guelferb. 287, cod. Helmestadii, 254, c. I.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., Epist., V, 97.

Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei et domini nostri Iesu Christi, Karulo augusto Leo episcopus, servus servorum Dei.

Tertio igitur idus novembris suscipimus epistulam Gregorii patricii Siciliensis, responsum scilicet serenitatis vestrae epistulae – neque eam ad legendum aperuimus, neque, quid in ea continetur cognovimus, nisi quod per illum missum nostrum nobis in verbis direxit, id est de illis Sarracenorum missis, cum quibus pactum confirmavit ipse patricius in annos decem.

Ipsi vero missi Sarracenorum in navigiis Beneticorum venerunt, et sic veniendo combusserunt igne duo navigia, quae de Spania veniebant.

Absoluta III idus novembris.

43. – 814-820. *Ludovico I conferma al patriarca Fortunato e agli istriani privilegi di cui godevano, e il giudicato di Risano.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 27, n. 18; cod. marc. lat. XIV, 74, c. 216; 77, c. 98.

EDIZ.: Kukuljevic, *Codex diplom. Croatiae*, I, 42; Kandler, *Cod. dipl. istr.*, I, s. a. 815.

Ludovicus, divina ordinante clementia, imperator augustus Fortunato venerabili patriarchae, itemque omnibus episcopis, abbatibus, tribunis, seu reliquis fidelibus nostris Istriae provinciae commorantibus, a majore usque ad minorem.

Sicut enim a primordio vobis concessimus, ita et de novo per sacram auctoritatem nostram confirmare decrevimus, vestris justis petitionibus annuentes, videlicet ut unicuique secundum ordinem, honorem dignitatis et legem antiquam, ut, si aliquis vestrum ex hac luce discesserit, inter vos rectorem et gubernatorem atque patriarcham, episcopos, abbates seu tribunos et reliquos ordines licentiam habeatis eligendi, ea scilicet ratione, ut unanimes et concordes esse debeatis, pacem adinvicem et justitiam consentientes et conservantes, et qui potentiores fuerint, mi-

nores sub omni custodia habeant, nulla tributa illicita supponere praesumant, sed omnes generaliter in Dei voluntate fideliter nobis et filiis nostris deservire studeatis. Patriarcha, episcopi, abbates et reliqui sacerdotes canonicie viventes non praesumant, et si, quod absit, diabolo suadente, inter vos rixas et contentiones aut oppressiones pauperum feceritis, et mandatum nostrum transgressi fueritis, aut fidelitatem nobis repromissam suo in tempore non conservaveritis, sciatis pro certo vestram esse culpam, et, si non emendaveritis, legalem et capitalem super vos manere sententiam. Et quicumque judicatum, quod legati domini et genitoris nostri, Izo praesbiter et Cadolao atque Ajo comites, per iussionem eiusdem domini et genitoris nostri inter vos constituerunt et primates populi vestri centum et septuaginta duo per sacramentum confirmaverunt, ut si aliqua contumacia violaverit, noverit se poena, quae in ipso iudicatu conscripta est, esse muletandum, idest novem libras auri ad palatium nostrum debeat solvere. Et ut haec auctoritas nostris futurisque temporibus, Deo protegente, firmior habeatur et per futura tempora melius conservetur, manu (c o d.: *more*) nostra subter scribimus (c o d.: *scribere*) et de bulla nostra jussimus sigillari.

44. – 819. Donazione di Agnello e Giulianino Particiaco all'abate di S. Servolo, tramutato a S. Ilario.

FONTI: Arch. Stato, Venezia, catastico S. Gregorio, VI, c. 10 (copia del sec. XIV); *Pacta*, I, 38 (copia del sec. XIV); cod. marc. Zanetti latini 400, c. 143; bibl. naz. Torino, I, iv. 7; cod. marc. lat. XIV, 75, c. 6.

EDIZ.: Gloria, *Codice diplomatico padovano* (Misc. Deput. Veneta Storia Patria), Venezia, vol. I, 6 sgg.: Dandolo, *Cronica*, ed. cit., pag. 143 sg.

Le copie sono state tratte da un esemplare trascritto in forma autentica nel 1254, 20 novembre, davanti al doge Riniero Zeno, su altro analogo del 908. Le due copie, non scevre di mende, alternativamente presentano lezioni preferibili. Quella dei *Pacta* sembra meno sensibilmente rimaneggiata, soprattutto nell'escatocollo, nel quale sono conservate formule più antiche, sostituite nell'altra con più re-

centi: e in questa il nome di *privilegium* subentra a *largietas* con la sostituzione di termini. (Si cfr. il testamento di Giustiniano Particiaco al n. 53).

In nomine domini nostri Ihesu Christi, mense madii, indicione duodecima, Rivoalti. Sanctarum ecclesiarum semper vigili cura oportet satagere, maxime illis, quorum potestas eminent de omnibus, est providere consultum. Quoniam quidem Iohannes venerabilis abbas monasterii sancti Servoli Dei caterva sui cenobii postulavit nostra suffragia, eo quod in loco angusto constituti et infra paludes manentes Deo Christo deservirent, possessionibus carentes, unde victui necessaria subministrarent, postulantes ut ob Christi et sanctorum amorem eisdem subsidium et iuvamen de hoc impertiremur, atque ideo nos quidem Agnellus et Justinianus, per divinam gratiam Venecie provincie duces, una cum reverentissimo domino Fortunato sancte Gradensis que et Aquileiensis ecclesie patriarcha, seu Christophoro, venerabili episcopo sancte Olivolensis ecclesie, atque universis Venecie populis habitantibus plebe Christo dilecta eiusque precioso sanguine acquisita, quapropter nos pro divino amore ac nostre anime sive parentorum nostrorum salute pari ac salubri consilio tractantes, cogitantes cogitavimus, qualiter idem Dei servus, Iohannes nomine, presbiter et monachus atque abbate cum se conjunctis fratribus de predicta ecclesia beati Christi martiris Servoli transferentes, quo loco transmutari deberemus vel quo ordine vivendi pacifice perpetualiter ponere posseremus, ad nostram devenit memoriam, ut capellam quandam in honorem beati Iuliani confessoris Christi super flumine, qui dicitur Une, ad jura proprietatis nostre cum suo territorio constructam sibi concedentes quieto vivere possent tramite, eo ordine quo decet beati Benedicti regule, ita tamen ut ipsa supradicta ecclesia beati Christi martiris Servoli in sua ac suorum successorum perpetualiter retineant potestate et custodia, suosque monachos sive clericos ibi constituant a[d] diurnum sive nocturnum peragendum officium et, quicquid ad suorum usum necesse habuerint, ipsis vel successoribus eorum eis subministrent, et ipsis eis

perpetualiter respondeant. Concessa igitur predicta capella beati Illarii confessoris Christi cum suis territoriis, finibus ac terminibus, cum omnibus appendiciis vel adjacentiis suis, quod est super totum circumdatis lateribus, id est a flumine, qui dicitur Clarino, percurrente usque in canale, qui dicitur Gambararia, et inde in fossa, que dicitur Ruga, ac deinde in canale de Luva percurrente in Seuco et usque in paludibus aquis salsis. Similiter a predicto Clarino descendente ad locum, ubi dicitur Aurilia, et finalibus, descendente per canale, qui dicitur Avisa, perexiente in supradicto flumine Hune, ac deinde percurrente usque in pallutibus similiter tribus millibus aquis salsis. Hec autem nostra decrevit voluntas per remedium anime nostre ac parentum nostrorum salute, ut predictam capellam beati Illarii confessoris Christi cum suis supradictis territoriis, terminibus, perpetualiter maneant ad usum et substentacionem monachorum, qui nunc modo in presenti vel in posterum pro futuris temporibus perpetualiter ordinandi sunt, et sub illorum vel de successorum illorum in perpetuum maneat potestate ordinandi et disponendi absque omni nostrum vel heredum nostrorum contrarietate aliqua. Et placuit nobis et omnis potentatus nostrisque fidelibus, ut omnis pertinencias eorum in finibus nostris consistentibus sit quieta et libera ab omni functione publica, tam de nostris molenariis, quam de piscatoribus, sive colonis ubique residentibus, ita ut nullus de publicis nostris gastaldis vel aliquis de nostro palacio missis supradictis vestris audeat inquietare vel molestare aut in angaria mittere aut exenia aliqua ab eis exigere, set absque omni molestia vobis servire concedat. Iterum ergo placuit nobis interdicere nostre Gradensis sedis patriarchis sive nostris Rivoaltensis sedis episcopis, ut nullum vobis invite ad concilium trahere audeant, nec ullam angariam vel prandia aut exenia a vobis requirere liceat aliqua, set absque omni molestia vel questiones liceat vos regulari lege utere. Contradicimus illis ut de omnibus, que sub vestris fuerint potestatem regiminis, monacum aut clericum aut confamiliarem, quem vos nutritre visi fueritis, suscipere vel defendere non presumant.

Unde et adiuramus et obtestamur per terribilem nomen Dei omnipotentis omnes successores nostros, ut, quod pro amore celestis patris et exemplum boni operis et augmentum sancte congregationis devota mente concessimus, nullus unquam audeat violare. Et qui contempserit et contra hec precepti seriem ambulare voluerit, primitus in Dei omnipotentis iram incidat et a congregacione sanctorum separari valeat et pars eius sit cum Iuda traditore domini nostri Iesu Christi et lepram Naam Siri incurrat super eum et sentencia patiatur, sicut in centesimo octavo psalmo legitur. Quam vero preceptionis et largietatis nostrae cartulam Dimittrio tribuno notario nostro (nostre capelle primicerium) scribere precipimus, ubi et manibus nostris nos et plures subscriptis et signum sancte crucis fecimus. Et hic largietas stabilis permaneat. In mense et inductione suprascripta. Feliciter.

+ Fortunatus, misericordia Dei patriarcha, in hac largietatis cartuia, sicut superius legitur, manu mea subscripti.

+ Agnellus, dux [Venetiarum], in hac larg. cartula, sicut superius legitur, manu mea subscripti.

+ Iustinianus, dux Venetiarum, in hac larg. cartula, sicut superius legitur, manu mea subscripti.

+ Christophorus, Dei gratia episcopus, in hac larg. cartula, sicut superius legitur, manu mea subscripti.

+ Petrus, peccator, presbiter serviens monasterii beati Georgii, in hac larg. cartula manu mea subscripti.

+ Iohannaci tribunus in hac larg. cartula manu mea subscripti.

+ Valentinus in hac larg. cartula manu mea subscripti.

+ Leonianus Talonicus in hac larg. cartula manu mea subscripti.

+ Savinus Talonicus in hac larg. cartula manu mea subscripti.

+ Stephanus Talonicus in hac larg. cartula manu mea subscripti.

+ Bonus Clementius in hac iarg. cartula manu mea subscripti.

+ Agnellus Clentusius in hac larg. cartula manu mea subscripti.

+ Georgius Catuni in hac larg. [carta] manu mea subscripti.

[*Notarii subscriptio et roboratio, neenon notitia testium desunt*].

45. — 824. Legati del patriarca Fortunato.

FONTE: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 29 sg., n. 19.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V., 1101.

Quae legavit et fecit Fortunatus patriarcha ecclesiae suae.

In primis altare sanctae Euphemiae cum auro et argento, et desuper duos damaschinos et unam purpuram et unum fundalum, et unum istoriale cum istoria de Epifania; lineas duas cortinas historiales, quae circundant tota sedilia, unde misi ante velo maiore ante regias, que emi de Christophoro episcopo mancosos viginti; vero et alio venedo majore misi tabulatum in ambas scolas de ecclesia S. Euphemie duas coronas argenteas maiores, in una ardet cesendelli centum. In alia ecclesia fecit tales coronas, quales hodie in Italia non sunt, turres mayores, duas patenas, quales in ipsa ecclesia numquam fuere; coronas aureas **** habuimus turibulo parvo de auro et de argento ad augendum solid. auri mancosos XXX et II. Feci maiore similiter de argento pergula ante altare maiore; item omnia vasa deaurata et deargentata, que mihi... dedit, valentia s. 70; cortinam, quam mihi donavit socera Passibo, quam ego volui comparare de illo s. 40, tamen non minus illi merui. Ad sedem S. Marci peciam unam, quae fuit comparata s. XV; cortinas lineas duas, unam de cubitis L et V, aliam de 30. Illas tulit dericiator in sua mercede; fecit exinde camisias et bragas ad suos clericos. Duas cortinas [lineas]choro paratas cum brandeo velo, idest ante cancelllos de secretario. Ad corpora beatissimorum martyrum fabricavi altaria de auro et de argento in longitudine pedes XV et in latitudine pedes tres et semis-

se; et post ipsum altare aliam parietem deauratum et deargentatum, similiter longitudine pedum XV et in altitudine pedes 4; et super ipso pariete arcus volutiles de argento; et super ipsos arcus imagines de auro et de argento; et super ipsa corpora peccias 8, quod ego misi *** et de ipsa fecimus: et in circuitu per cancellos ad ipsa corpora velo maiore unum istoriale ante regias sancti Quirini. Et dedi Mauriano magistro argentum ad facere templos, nescio, aut tres aut quattuor *** et feci ibi altare unum. Tulit ipsos templos clericus ad ordin *** Mauriano, et destruxit ipsum altare, et fecit exinde illos templos de sancto Quirino et medium parietem in longitudine de illo altari, quod tulit de ecclesia sancti Pantaleonis de nova Civitate. Et super ipsa corpora misi pecias tres; ante regias S. Marci velum 1; in circuitu altaris quadrabulum 1; super altare similiter capsas, quae venit comparata de Constantinopoli lib. X; ante sepulchrum domini Joannis petiam unam; in oratorio Petri ante corpora altare, et super altare et in oircitu altaris peciam unam. In oratorio ante corpora sancti Quirini tria edificavi altaria, unum in honorem sancti Michaelis, aliud sancti Pauli, tertium sancti Benedicti, et ipsa in circuitu et desuper honorifice coperii; in S. Laurentio blata 1, et desuper macioda unam; ad S. Paulum in circuitu altaris quadrabulum 1, et desuper similiter ad fontes S. Joannis in circuitu quadrabulo unum, et desuper fundalum; in circuitu fontis velum lineum unum. In ecclesia S. Mariae [feci] altare et in circuitu fundato maiore 1, et unum damaschinum, et unum fondatum album, et de [di ad au]randum jam libras XII. Et si Deo placuerit, adimplere cupio, et credo in Deo, et vos nolite dubitare; quod dico, Deo jubente, sic facio. Et coperii ipsam ecclesiam de plumbo de dono sancti imperii et in meo certamine, et stravi ipsam porticum cum lapide usque in plateam publicam. In S. Zenone in circuitu altare, et desuper palchum unum. Ad S. Pancratium similiter. [In] ecclesia S. Agatae, ubi requiescunt 40 et duo martyres, [quae] erat in ruinis posita, et quando impetus maris veniebat, usque ad ipsa corpora ambulabat, sed tanta erat Dei misericordia, quod

ipsa aqua feriebat parietes longe de ipsa corpora pedes 5: quod plures nostri sacerdotes viderunt. Ego autem cum Dei misericordia reedificavi eam a fundamentis in altitudinem et longitudinem, ubi iam impetus maris accedere numquam potest, et super ipsa corpora feci arcus volutiles et super ipsos alios arcus volutiles, et feci ibi altare in honorem S. Felicis et Fortunati paratum cum auro et argento; et ante ipsa corpora subtus [edificavi] similiter altare paratum cum auro et argento, et desuper capsam, quae empta fuit in Constantinopoli lib. XV; et super ipso arcu volutili, qui est super altare S. Felicis et Fortunati, edificavi altaria IV, S. Ceciliae, S. Eugeniae, S. Agneti, et sanctae Felicitati; et post corpora beatissimorum martyrum in illa absida edificavi altare sanctae Luciae. Laus Deo omnipotenti. Ista altaria de palliis et linteaminibus honorifice cooperata sunt, et dedi ibi patenas et calices de argento, et unum casale in Pencircus cum vineis, et terris, et olivetis, quem ego emi de filiis Badoario; et, non recordo, aut unum aut duos casales, qui pertinent de iure sanctae ecclesiae nostrae; et dedi ibi argentum lib. X in manum Agaocor episcopo, et omnem consuetudinem de sancta ecclesia sic prendat, sicut archipresbyter aut archidiaconus: et dedi ibi unam casam, prope ipsa ecclesia, quam emi de hominibus de Bevaziano. De ecclesia autem S. Peregrini, quam Gradisiani in illorum peccato fundamenta everterunt pro timore Francorum, nos, Deo jubente, a fundamentis reedificavimus eam; scolas, mansiones et porticus in honore edificavimus. Ecclesia autem S. Joannis maior tota erat inusta, et scola in ruinis posita, quia et ego, nec alii introire [potuimus], ubi et ante habuit traves 18: ego autem feci venire magistros de Francias, misi ibi traves XXX (*Desunt hic multa*).

Monasterio sanctae Dei genitricis Mariae in insula Barbino dedi argenti lib. 30, navem cum omni armatura sua, grani media centum; misimus ibi presbyteros et clericos, qui ibi Dominum coeli quotidianie laudant. Monasterium sancti Iuliani in insula, quod in ruinis positum erat, edificavimus; misimus ibi presbyteros, et dedi illi argenti

lib. 2, ut ibi die noctuque officium faciat. In sancta ecclesia majori dedi per sacerdotes inter castone et siricas planetas XVI, credo, et amplius, dalmaticas VIII: septem sunt, et de una fecit sibi diaconus Venerius tunicam, et de alia Mauricius, qui in perditione ambulavit, tunicas syricas octo de bono linteamine. Ad omne subdiacono et acolytos de alio linteamine per sanctas ecclesias intus et foras credo quod intuere non possum. Dimisi per illas insulas cavallos XII, Deus scit, meliores fuere de quinquagenos vel sexagenos mancosos, armalino, lana, canabe, coria, filtros, saumas ursinas, scrineas ferro amplius valente quam s. cento, vino amphoras amplius quam duocento, sine alias causas, quod ego non possum recordare; XVIII caldarias maiores comparavi de illos missos per illos, rame de casa Ioanni magistro milite tulerunt.

Breve quanto in domo S. Hermagorae inveni. In primis grano modia XV, vino amphoras 9, auro facto pesante manchosos XXX et III, argento facto de mesa lib. 72. Ego inde habeo hic ad me 60 lib. et 1, sic persensa quod in domo remansit. Si plus invenit inter isto, quod ego habeo, et illo, tunc sciatis quod dempto de meo certamine est, et si minus invenit, si Deo placuerit, ego illo habeo restaurare de toto isto; pervivente in secula, non volo me habere, sed omnia revertar in sancta ecclesia. Laudo ego Deo de mea habeo completa missa, quod ad me habeam thesaurus sanctae ecclesiae omnis salvus est, quod ibi inveni; scepto fuit unus calix parvulus et non benefactus, pervivente in secula; non pensavit amplius 114 manchosos; ad augendum L manchosos transmisi in Franciam, et bonas gemmas adamantinas et ajaguntos, ut faceret meliore et maiore. Si sanus est dominus Ludovicus, ego credo quod sancta ecclesia illum non perdere habet; et si aliquid [ad]venit, confido in Deo, non vado de ista luce antea quam ego restaurare, credite, nec profeta sum, nec filius profetae, nam promissa a Deo sic erit, quod in magno honore et gratia sancti imperii in sancta mea reverta ecclesia, in pace et tranquillitate vobiscum diebus vitae meae gaudebo.

46. — 825-6. *Il patriarca Venerio agli imperatori Ludovico e Lotario.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, codice Trevisaneo, c. 31, n. 20; cod. marc. lat. X, 181, f. 25; 310, f. 43.

EDIZ.: Monum. Germ. Hist., Epist., V, 313 sg.

Dominis piissimis atque tranquillissimis semperque triumphatoribus Hlodovico et Hlotario, invictissimis imperatoribus augustis, Venerius, servus servorum Dei, sanctae metropolitanae ecclesiae Gradensis episcopus, in vestro servitio supliciter dévotus. Vestrum quidem, piissimi imperatores, laudabile et gloriosissimum inter homines principatum omnium dominus Christus cottidianis diebus bonis incrementis maximum splendidissimumque demonstrat et de cetero demonstrabit, hoc semper efficiens propter fidem rectam, quae ab incunabulis est vobis inserta, et propter reverentiam, quam erga sanctas Christi ecclesias salubriter exhibitis. Et quia decet vestra pietate, venerabiles imperatores augusti, ecclesiarum tranquilitate gaudere, valebitis quidem ea, quae sana sunt, integra semper salvaque custodire, quae vero vexata sunt vel corrupta, vestrae pietatis medicina curare dignetis. Quamvis enim sciam, clementissimi domini, humanis institutionibus non egere et sincerissima de abundantia Spiritus sancti auxisse doctrina, officii tamen mei est et patefacere, quae intelligitis, et petere ea, quae nobis vestra sancta imperialis potestas largire valet, ut ignis ille, quem Dominus veniens misit [in terra, motu crebrae meditationis agitatus, sic concalescat, ut ferveat, et sic inflammetur, ut luceat. Ob inde, totius orbis terrarum omnium christianorum, benignissimi imperatores et domini, spei insuadibilis claritas et largitas sperandorum, tamquam presentaliter coram vestris vestigiis terrae provolutus, ego tantillus, qui, licet valde dissimilis, nuper in sancta mea animarum tamen curam suscepi, in vestris auribus presummo flagitare suffragiis. Igitur notum facio pietati vestrae, eo quod sanctae recordationis dominus Karolus Magnus, genitor vester, propter Deum et sua sancta anima ad gloriam sancti Marci evangelistae et beati Hermachorae prisci ponti-

ficiis in sancta nostra ecclesia immunitatis preceptum pro munere communicare dignatus est. Ita ut, ubi sanctae ecclesiae nostrae facultatula sive episcopia sub ipsius sancto imperio constituta, quae a priscis temporibus possidere visa est, ita in perpetuo confirmare decrevit. Unde firmiter credimus, tranquillissime domine, quod sancta illa anima, qui tam mirabile lumen ad gloriam dignitatis Christi martyribus et pontificibus in hoc saeculo pro luminaria concessit, ab angelis in paradiſo Domini et Abrae sinu esse conlocatam scimus, quia scriptum est: « qui me inluminat, inquit, et ego in aeternum inluminabo eos ». Propterea enim supliciter imploramus serenitatem sancti imperii domini nostri, ut propter Deum et dulcissima anima vestra habeamus preceptum de vestra imperiali potestate, ut, sicut ille benignissimus suis temporibus erga sanctorum monumenta epigrammae terminum fecit, ita et vos per vestrae mercedis augmentum preceptum genitoris vestri consolidare iubeatis, ut, sicut antecessores mei cum suis sacerdotibus gratulaverunt temporibus suis, ita nos nostrisque temporibus de largitate serenitatis vestrae exultare mereamur, quemadmodum favor vester cuncto orbi terrarum perlustrat, quatenus et a Deo vobis maxima merces commulata maneat et dominum Deum, possessorem caeli et terrae, pro stabilitate et sospitate vestri magni culminis arcem, seu vestrae dilectissimae prolis beatus Marcus evangelista et beatus Hermagora, archisacerdos et martyr, cum quadraginta sociis suis (sanctorum veneranda corpora hic pio amore amplectimur), ante tribunal eius vobis intercessores existant. Et nos, licet indigni, una cum episcopis et sacerdotibus nostris cunctaque christianissima plebs pari voce coniuncti die noctuque pro vestro pietatis imperio et christianissimo vestro pallatio seu magnificentissimis comitibus et curia et plebe fideli seu cuncto populo domini nostri Yesu Christi misericordiam] exorare non cessemus. Direximus autem apud sacra imperialia vestigia domini nostri missum nostrum Petrum una cum Iusto presbitero, misso Agnelli et Iustiniani fidelium vestrorum ac filiorum nostrorum, de quibus quasi presentaliter domini

nostri osculantes vestigia queso commendatos habere, ad quorum et nostrae iniunctionis eloquium, mei benignissimi imperatores et domini, dignas iubeatis inclinare aures tam verbotenus quam quod et per capitulare designatum plenissima eis adsit imperialis vestrae potestatis credulitas. Ob his enim, serenissimi imperatores et domini, summa cum humilitate victricem excellentiam vestram omnipotens Dominus per multorum annorum curricula incolumes conservare et regere dignetur. Com mendamus nostram fragilitatem vestris serenissimis imperialibus obtutibus, nunc et semper. Amen.

47. — 825-6. *Gli imperatori Ludovico Lotario al patriarca Venerio.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 31 v., n. 22; cod. marc. lat., X, 181, f. 27; 310, p. 43; cod. marc. lat. XIV, 74, c. 216 v.; 77, c. 98.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1103.

In nomine Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlodovicus et Hlotarius, divina ordinante providentia, impp. augusti, Venerio, venerabili patriarchae, aeternam in Domino salutem. Suscepimus literas sanctitatis tuae, quas nobis per Petrum diaconum direxisti, easque coram nobis relegi fecimus, in qua referimus quod nobis suggessisti ut preceptum, quod pie recordationis dominus genitor noster, rogante domino Ioanne, antecesore tuo, ecclesiae Grandensi conscribere iussit, nostrae auctoritatis oraculo confirmaremus. Quod pro reverantia atque honore beatissimorum martyrum Marci et Hermagorae statim ita fieri praecipimus, necnon et cetera capitula, quae idem diaconus ore proprio proferendo nobis intimavit, propter honorem et venerationem memoratorum sanctorum martyrum, quibus vestra sancta devotio deservire dinoscitur, et libenter audivimus, et, ut ad effectum pervenirent, epistolas nostras, quas vos vel idem diaconus indicaverat, conscribere iussimus, videlicet ad dominum apostolicum propter usum palii, propter servos ecclesiae tuae, qui in ministerio

ipsius sunt, constringendos, et possessiones, ad eandem ecclesiam in Istria pertinentes, defendendas, necnon et ad Bosonem comitem, missum nostrum, de rebus ecclesiae tuae, quas antecessor tuus Fortunatus Dominico nepoti suo dederat, ut inquisitionem idem faceret, et secundum hoc, quod iustum esse inveniret, ex nostra iussione eidem Dominico precepiret. Tu vero nobis significasti pro nobis et coniuge ac prole et domo nostra orando intercedere, ut nos Deus omnipotens et hic et in futuro saeculo conservare et custodire dignetur. Optamus sanctitatem tuam bene valere et semper nostri meminisse.

48. – 825-6. *Il patriarca Venerio all'imperatore Ludovico.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 33 v. sg., n. 24; cod. marc. lat. X, 181, 29; 310 p. 46.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, V, 314 sg.

È forse una duplicazione della lettera precedente [n. 42], mutate le persone e i nomi degli incaricati, posteriormente di altra missione. Cfr. n. 44, 45.

Domino Hlodovito. imperatori piissimo et christianissimo, victori ac triumphatori, semperque augusto, totius orbis ortodoxi, terra marique, nostro domino, Venerius, humillimus servorum Dei omnium, servus sanctae metropolitanae sedis Gradensis civitatis episcopus in vestro sancti servitio supliciter devotus. Vestrum quidem, piissimi imperator, laudabilem et gloriosissimum inter homines principatum omnium dominus Christus eottidianis diebus bonis incrementis maximum splendidissimumque demonstrat et de cetero demonstrabit. [Segue secondo la lezione della lettera precedente n. 46 fino alle parole: exorare non cessemus. Poi riprende:] Direximus autem apud sacra imperialia vestigia domni nostri Tiberium diacono et vicedomino nostro, seu et *** humillimo servuio vestro, gerulo nostro, de quibus quasi praesentaliter domino nostro osculantibus vestigia queso commendatos habere, ad quorum et nostrae iniunctionis eloquium meus benignissime imperator et dominus dignas iubeas inclinare

aures tam verbotinus quamque et per capitulare designatum plenissima eorum adsit imperialis vestrae potestatis credulitas. Ob his enim, excellentissime imperator et domine, summa cum humilitate victricem excellentiam vestram omnipotens Dominus per multorum annorum curricula incolumem conservare et regere dignetur. Comendamus nostram fragilitatem vestris serenissimis imperiis obtutibus, nunc et semper. Amen.

49. — 827, ante giugno. *Lodovico e Lotario, imperatori, al patriarca Venerio.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, codice Trevisaneo, 31 v., n. 21; cod. mare. lat. X, 181, f. 36; 310, p. 42.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1104.

In nomine domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlodovicus et Hlotarius, divina ordinante providentia, imperatores augusti, Venerio, venerabili patriarchae, in Domino salutem. In litteris sanctitatis tuae, quas nobis per missum tuum Tiberium misisti, scriptum reperimus, quod tu, secundum nostram iussionem, propter contentionem tuam et Maxentii patriarchae firmandam Roman venisti. Sed quia Maxentius eodem tempore illuc non venit, et propter eius absentiam dominus apostolicus nihil inde diffinire potuit, tu, infecto negotio, domum reversus es. Sed nobis non videtur esse conveniens, ut ista causa sic remaneat. Ideoque decernimus ut iterum, tempore congruo, Roman ad praesentiam domini apostolici quam et eorumdem missorum nostrorum contentio vestra iuste et canonice difiniatur, ut in postmodum nullam inter vos de hac causa altercationem habere sit necesse.

50. — 827, 6 giugno. *Sinodo mantovana.*

FONTE: Codice della bibl. Vallicelliana di Roma, B. 61 (sec. XV) f. 244 sgg., desunto da apografo bresciano perduto. Cfr. ivi cod. Vallic., C. 56 (sec. XVII), f. 139.

EDIZ.: Monumenta Germ. Historica, Concilia, II, 583 sgg.

Regnante domino nostro Jesu Christo in perpetuum, anno pontificatus sanctissimi et universalis papae Eugenii III et imperantibus piissimis catholicis et Dei cultoribus Chlodowico et Chlothario, divis imperatoribus, anno VII et X, per indictionem quintam, VIII idus iunii. Secundum Dei gratiam et sanctionem eorum congregata est synodus in civitate Mantua, in qua affuerunt vir venerabilis et sanctissimus Benedictus episcopus et Leo, reverentissimus diaconus, bibliothecarius, legati videlicet sanctae Romanae ecclesiae habentes locum beatissimi papae Eugenii, Sycardus, palatinus presbyter, et vir spectabilis Theoto, a praefatis augustis directi, Petranas quoque, Ravennatis archiepiscopus, atque Angelpertus, sanctissimus Mediolanensis archiepiscopus, provintiae Aemiliae Andrea, Ferrariensis episcopus, Leo, Flaventinus episcopus, Vitalis, Camaclensis episcopus, Christophorus, Bononiensis episcopus, Nordebertus, Regiensis episcopus, Lautpertus, Parmensis episcopus, Georgius, diaconus, Honestus, diaconus, Dominicus, diaconus, Liguriae provintiae Antericus, Vercellensis episcopus, Rambertus, Brixianus episcopus, Erimpertus Laudensis, Synepertus, Cremonensis episcopus, Venetiae provintiae Ratoldus episcopus, Veronensis episcopus, Laulfus Mantuanensis, Franco Vicentinus, Dominicus Patavensis, Adeodatus Tarvisanus, Cemmo Genetensis, Othelbertus Bellunensis, Anselmus Concordiensis, Auratus Feltrensis, Arthemius Asolensis, Andrea archidiacunus, agens vicem Heimberti, Tridentini episcopi.

Residentibus igitur in hac synodo reverentissimis episcopis, adstantibus diaconibus et caetero clero, veniens vir sanctissimus Maxentius, Aquileiensis patriarcha, precum libellos pro dispersione suaue Aquileiensis ecclesiae obtulit, ut suaue provintiae ecclesias, quas barbarorum incursum a sua matrice segregaverat, auctoritate canonum iam pacis tempore percipere mereretur ad propria. Nos, qui veritate perfecta invenimus a beato avangelista Marco, qui spiritualis et ex sacro fontis utero ac carissimo sancti Petri apostoli fuit filius, necnon ab elegantissimo Hermachora Aquileensem aecclesiam pre omnibus Italiae

in Christi fide prius fundatam esse et pastoralem ibi semper curam servatam et sanctorum apostolorum sanctae Romanae aecclesiae doctrinis imbutam atque ipsam semper eius fuisse discipulam et peculiarem vicariam in omnibus, quae inadmodum insertum in eiusdem Aquileiensis aecclesiae comperimus sacris litteris. Relatum igitur a non-nullis est in eadem synodo, quod eo tempore, quo Longobardi Italiam invaserant, Romanam aecclesiam vir sanctissimus Benedictus papa regebat, Aquileensi quoque civitati eiusque populo Paulus patriarcha preerat, qui Longobardorum barbariem et immanitatem metuens ex civitate Aquileensi et de propria sede ad Gradus insulam, plebem suam, confugiens omnemque thesaurum et sedes sanctorum Marci et Hermachore secum ad eandem insulam detulit, idcirco non ut sedem aut primatum aecclesiae suaequae provintiae construeret inibi, sed ut barbarorum rabiem possit evadere. Qui XII annis sacerdotium gerens, ab hac luce subtractus est regendamque aecclesiam Probino reliquit. Isto quoque Aquileie defuncto, prefactae aecclesiae Aquileensi sacerdos Helias preficitur, et, hoc quoque mortuo, Severus huic succedens regendam suscepit aecclesiam. Defuncto itaque Severo, ordinatur loco eius Iohannes patriarcha in Aquileia eo tempore, quo Agilulfus, rex Longobardorum, regnabat.

In Gradus quoque ordinatus est haereticus Candidianus antistes. Hic enim Candidianus nec per consensum comprovincialium episcoporum nec in civitate Aquileia, sed in dioecesim et plebem Aquileensem Gradus, quae est perprava insula, contra canonum statuta et sanctorum patrum decreta ordinatus est. Et inter alia probat hoc huius Aquileiensis aecclesiae Ioannis antistitis epistola ad Agilulfum regem directa, cuius textus inter caetera ad locum talis est: « Qualis autem unitas dicitur facta, ubi spata, ubi claustra carcerum, ubi flagella fustum, ubi longa exsilia crudeliumque poenarum discrimina parabantur, et miseri sufraganei aecclesiae nostrae, scilicet espiscopi Histriae, cum summa vi et necessitate a Grandensi castro Ravennam compulsione districtissima ducebantur Graecorum, necnon inibi loquendi licentia ne-

gabatur? Atque Candidianus inutilis, qui se ob sui scele-
ris immanitatem prefate sanctae recordationis domino
Severo, decessori nostro, sub anathematis interposicione
obligatus est, ne ad potiorem gradum umquam accederet,
quoniam a se eique corde faventibus in praedicto Gradensi
castro adulterium matri aeccliae improbe ingereretur,
ordinatur episcopus. Et Petrus, Providentius seu Agnellus,
episcopi Histriae, qui adhuc fidem sanctam tenebant et
Candidiano necdum consentiebant, de aecclesiis suis a mil-
litibus tracti et cum gravi iniuria et contumeliis ad eum
venire compulsi sunt. Si enim recte ei consentescentes essent,
voluntarie illi consentire debuerant, non autem per vim».
Et post pauca sic: «Laborate et agite, quatinus et fides
catholica vestris augeatur temporibus et in Gradensi
castro, postquam infelix Candidianus de hoc seculo ad
aeterna supplicia transmigravit, altera iniqua ordinatio
ibi minime celebretur nec populus ille amplius tribuletur.
Et vere, si hoc, Domino auxiliante, egeritis, quod primum
est, Christus Deus pietati vestrae erit bonorum omnium
tributor». Et quia Gradus mari et fluctibus cingitur et
Histria, quae prius Aquileiae, suae metropoli, subiecta
fuerat, Smaragdo hesarcho resistente, tunc a Longobardis
capi non poterat, sed ad iura Graecorum tenebatur, quare
factum est, quod rex ei nullum potuit prestare auxilium
ac per hoc, ipso annitente hesarcho, Histriae episcopi de
aecclesiis suis a militibus Graecorum tracti sunt et hunc
Candidianum ordinare compulsi.

Antiquorum igitur recitatis historiis, Aquileiam ma-
tricem semper et metropolim fuisse repperimus, Gradus
autem plebem eius esse omnino comperimus.

Sed et populi Polensis, quae civitas caput est Histriae,
decretum ab universo clero et cuncto populo missum ad
Sigualdum, patriarcham Aquileiensem, qui usque ad
Francorum tempora vixit, verum et probatissimum in-
venimus, ut electum ab eis episcopum ordinaret.

Sed et id non omittendum, quod et clerici et nobiles
ex laicis viris electi ab Histriensi populo sanctam sy-
nodum supplicantibus venerint, ut eos a Graecorum nequis-
simo vinculo liberatos ad Aquileiam, suam metropolim,

cui antiquitus subditi fuerant, redire concedat, quia electi, qui ordinandi sunt, prius piissimis imperatoribus nostris et postmodum ad partem Graecorum fidem per sacramenta promittunt. Ed ideo in hoc facto gravari se asserunt et servire duobus dominis non posse conclamant.

Auditis itaque horum precibus, sanctissimi et reverentissimi legati sanctae Romanae aecclesiae, Benedictus videlicet episcopus et Leo diacomus, universa quae Maxentius, patriarcha Aquileiensis, in libello obtulerat, auctoritatesque veracissimas, quae in hac synodo propalatae sunt, recitatis etiam canonibus, recapitulando cuncta per ordinem protulerunt, interrogatisque singulis episcopis utrum iusta sit an iniusta Histrianorum petitio et si secundum has auctoritates Aquileia semper metropolis fuerit, aut si provintia, quae contra canonum statuta in duos metropolitanos divisa est, ad unam et primam reformari debeat. «Et si placet eorum petitio, clara voce proferte». Universi respondentes, dixerunt: «Iusta est Histrianorum petitio». Et quia, quod Aquileia semper metropolis extitit dominaque fuit Gradentium, novimus, et quia contra patrum decreta de cunctis divisa est, ideo auctoritate patrum ad priorem statum reformatur. «Omnibus nobis placet». Et illi respondentes dixerunt: «Et nobis ita placet».

Statuit igitur sancta synodus, ut Aquileia metropolis, quae contra patrum statuta divisa in duos metropolitanos fuerat, deinceps, secundum quod et antiquitus erat prima et metropolis aecclesiae, patriarcha eiusque successores in singulis Histriae aecclesiis electos a clero et populo ordinandi in episcopos licentiam, sicut et in ceteris civitatibus suaे metropoli subiectis, modo et futuris temporibus habeant. Deinde ergo hoc statuentibus et loquentibus, legati sanctae Romanae aecclesiae et prefati illustrium imperatorum missi exorsi sunt palam omnibus dicentes: «Notum sit universis presentibus et futuris in hac synodus et nostris definitionibus affectum animi et consensum domini papae esse Eugenii atque piissimorum Chlodowiei ac Lotharii imperatorum, quatenus Aqui-

leiensis aecclesia ad pristinum reformatum decus nunc et in perpetuum».

Sane et id necessario indicandum duximus, quod Sychardus, id est palatinus presbyter, et Theoto, vir spectabilis, sacrorum imperatorum missi, eum essent prius in civitate Tarvisio, ad Venerium, Gradensem episcopum, suum missum miserunt precipientes, ut ipse ad synodum, quae Mantuae futura erat, cum auctoritatibus, si haberet, pro defensione suae aecclesiae paratus adesset. In qua eius prestolantes adventum diebus V resederunt. Sed propter quorundam episcoporum ad hostem pergentium impedimentum, iam coepto ipsorum itinere, plus expectare nequiverunt.

Tamen, adhuc eis stantibus et abire volentibus, sic tandem venit Tyberius, diaconus et oeconomus aecclesiae Gradensis, a Venerio, eiusdem castri episcopo, missus, obsecrans, ut auctoritates, quas pro sua aecclesia duxerat, in praesentia synodi legerentur. Relectis itaque omnibus, repperimus exemplaria e nullius manu esse roborata; et quamvis ita sint, si essent firmata, magis Aquileiensi ecclesiae quam suae pertinerent, cumque a synodo sciitaretur, utrum horum exemplorum autentici in archivo suae ecclesiae tenerentur necne, respondit nihil amplius se habere, nisi synodus ab Helia, Aquileiensi patriarcha, in castro Gradensi, quod plebs eius erat, actam fuisse, cuius initium est: «Cum in castro Gradensi ac plebe sua Helias, patriarcha sanctae Aquileiensis aecclesiae, cum Martiano, Leoniano, Petro, Vindemio, Vigulo, Iohanne, et reliquis consacerdotibus suis concedisset *et reliqua*»; item subscriptiones episcoporum huius synodi in plebe Gradensi actae: «His gestis apud nos habitis, subscriberunt Martianus Opitargensis, Leonianus Tyborniensis, Petrus Altinatis, Helias, sanctae Aquileiensis aecclesiae patriarcha, Vindemius Cessensis, Vigulus Pataviensis, Iohannes Calleianensis, Clarissimus Concordiensis, Patricius Emoneensis, Hadrianus Polensis, Maxentius Iuliensis, Severus Tergestinus, Iohannes Parentinus, Aaron Avoriensis, Materninus Sabionensis, Flaminus Tridentinus, Vigilius Scavarasiensis, Laurentius Feltrinus, Martianus Petenatis»;

item excerptum ex suggestione Histriensium et Venetiarum ad papam Gregorium missum, quam prefatus Tyberius synodo obtulit, cuius initium est: «Suggerendo ter beatissimo atque apostolico totiusque orbis terrarum capiti, domino Gregorio, universalis papae, cuncti episcopi Histriensium et Venetiarum provintiae seu cuncta generalitas populi Gradensis oppidi et plebis, ultimi servuli vestri».

Ad locum cuncta liquidius in veritate suggerere non omisimus. Tempore igitur Aquileia civitate stante in Hysperia illuc sanctus Marcus evangelista ad predicandum ab urbe Roma, scilicet a beatissimo Petro principe apostolorum, directus est, per cuius vero predicationem veracissimam orthodoxa fides Christi populo commoranti inibi ab eo tradita est et usque nunc ibidem immutabilis manet, necnon ab ea exordium christianitatis non sola sumpsit Italia, verum etiam multae aliae provinciae.

Beatissimus igitur Marcus evangelista Aquileiae resi-
dens, vultum beati Petri apostoli videre desiderans, Ro-
mam urbem regrediens et secum elegantem virum, Her-
machoram nomine, ab omni electum clero et populo de-
ferens, et ab ipso beato Petro apostolo Aquileiae urbis
ordinatus et constitutus est pontifex. Deinde Hermachoram
proto Italiae pontificem constituit. Pontifices adhuc
Aquileia in civitate stantes sexto miliario in loco, qui
Gradus nuncupatur, munitionem quandam construxerunt,
in qua etiam Dei aecclesias mirifice fabricaverunt, qua-
tinus aestivo tempore ibi degentes Aquileiae pontifices
possint ardorem aestatis evadere. Et notandum, quod
omnes Histriensium civitates ac reliquae, quas haec notat
synodus, Aquileiae civitati, quae caput et prima est to-
tius Italiae, subiectae sunt.

Item, in ultimo interrogatus est Tyberius, diaconus et
oeconomus Gradensis aecclesiae, ut proprio ore proferret,
qualis harum duarum divisionum sedes, quae contra ca-
nonum statuta partita est, prima et metropolis fuerit.
Qui constanter clara voce professus est: «Negare non
possum, quia ego et paene omnes sciunt, Aquileiam civi-
tatem primam et metropolim esse et a beato Marco et Her-

macora in Christi fide fundatam. Sed propter oppressionem paganorum Helias, Aquileiensis patriarcha, ad Gradus veniens, in diocesi et plebe sua habitavit et suorum episcoporum ibi synodum egit.

Interim scimus, quod a beato Marco usque ad Paulum patriarcham, qui ad Gradus, plebem suam, configuit, sunt XX patriarchae, qui venerabilem sedem Aquileensem tenuerunt et Gradus iudicaverunt ita ut unum proprium de titulis. A Paulo quoque patriarcha usque ad Iohannem patriarcham, ubi inter Aquileensem sedem et Gradus, plebem eius, divisio facta est, sunt patriarchae V, qui omnes, ut esset, iudicaverunt usque ad Candidianum haereticum, qui hanc divisionem cum Graecis, qui totam Histriam suo quoque iure tenebant, gessit.

51. – 828, ante pasqua. *Il patriarcha Venerio a papa Gregorio IV.*

FONTE: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 33, n. 23.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, V, 315 sg.

Domino sancto ac beatissimo in Christo patri Gregorio, summo pontifici et universalis papae, Venerius, servus servorum Dei, episcopus, plurimam apostolatus vestri prosperitatem et perenne gaudium a Christo Domino feliciter imploro.

Quoniam quidem post Dominum nullum habet parvitas nostra configuum nisi ad maiestatem apostolici culminis, cuius, Deo auctore, vicem geritis, ac per hoc cogimur crebris supplicationibus nostram justitiam, nostramque concussionem, quam indesinenter aemulus noster exercere non desinit, intimare; iam audacter fisus de effectu paternae clementiae vestrae, ut more nati, qui cuncta parentum auribus dicit intimanda et ab his pio subsidio oblata universa adipiscere nititur, praesumamus. Igitur comperiat, oramus, vestra solers et pia prudentia, beatissime domine papa, quia iam tot vicibus ex iniuncto imperialis auctoritatis ad vestra sacra apostolica vestigia cum Maxentio coniungi debuimus, definienda scilicet causa

nostrarum ecclesiarum, quam contra Deum et canonum instituta inretire nisus est. Sed quia minime a vestra saluberrima pietate iudicari maluit, Mantuae quoque sugessit causa finienda. Nos vero ad imperialia vestigia pervenientes ipsum paratum non invenimus. Expectare enim eum nos augustus monuit, cui nos suam epistolam ostendimus, per quam dudum praeceperat, ut apud sanctam apostolicam sedem rei finis poneretur. Nam et vocem fecimus, ut utrum ille veniret an non, nullatenus de his alicui responsum daremus, nisi corām vicario beatissimi apostolorum principis Petri, in cuius sorte vobis a Christo Deo nostro ligandi solvendique potestas incumbit. Verum si compunctiones et suffraganei eius causam determinassent, impletur in his illud Apostoli dictum, quod ait: «Omnes quaerunt quae sua sunt, non quae Iesu Christi» (*Phil. 2, 21*). Iustum namque est, ut qui omnibus preest, omnes iudicet. Nullum enim iam Dominus per pura curricula ecclesiae suaee sanctae tam honestum, quamque sobrium pudicumque, ac justi moderaminis aequum largire dignatus est, quam te, beatissime praesul, quem nullus a recto tramite deviare potest, non principum favores, non subditorum variae suggestiones. Petri namque solium tenens, Petri in mente virilitatem gestas, et digne tempore, quo magna instabat causa finienda, magnanimum pontificem Christus eligeret universorum. Nam et ipsi mundi principes nec praesumentes neque volentes usque hactenus ista contingere, sed tuo sacro reservavere iudicio, quamvis quorundam subditorum oculos munera obscurassent, qui hanc argumentantur et contra rationem vincere moliuntur. Nunc autem, sicut cognovimus, gloriatur se idem Maxentius palam per praeceptum domini imperatoris diocesim Istriensium habere, et ipsi electi post octavas paschae praeparant se ad ordinationem. Et hoc, qualiter absque iudicio factum fuerit, ignoramus; maxime cum voce clamoris, quia in vos omnem spem reclinatam habemus, et credimus, quia non confundimur, quam videlicet nostra imminentia dignum duximus per hos apices ad vestram ferre celsitudinem postulantes nimiumque obsecrantes, ut tutor et defensor noster

propter Deum et eum, in cuius vicem curas ecclesiarum
Dei solvit, esse digneris, et nostrum audias clamorem,
ne spes nostra confundatur et ecclesia usque hactenus il-
luminata suo decore maledicorum insultatione fuschetur.
Quapropter studuimus mittere ad vestra pia vestigia fi-
delem missum nostrum Dominicum presbiterum, ut verba
eius clementer audire jubeas. Expletis his humillimis sug-
gestionibus nostris, oramus remuneratorem bonorum Chri-
stum vestram apostolicam gloriam per multa aevi curri-
cula gubernet inlesa. Amen.

**52. — 827-829. Fondazione del monastero
di S. Zaccaria.**

FONTI: Arch. di Stato, Venezia, S. Zaccaria, pergamene, b. 40:
cod. Trevisaneo, c. 35, n. 25.

EDIZ.: Tafel u. Thomas., *Urkunden zur älteren Handels u. Staats-
gesch. der Republik Venedig.*, in «Fontes Rer. Austr., Diplomata»,
XII 2, n. 1; Romanin, *Storia documentata della Repubb. di Venezia*,
Venezia, 1853, I, 548.

Il diploma è una patente falsificazione, sia pure di data antica, se
figurava nel vecchio *Catastro A. c. 14 v.*, *Rotolo segn. n. 1 in armer.*,
è lo stesso esemplare tuttora conservato, di evidente fattura tardiva.
Taluno volle difendere l'autenticità del diploma; il testamento del
duca Giustiniano (v. n. 53) la smentisce.

Cognitum sit omnibus christianis et sancti Romani
imperii fidelibus tam praesentibus quam illis, qui post
nos futuri erunt, tam ducibus quam patriarchis atque
episcopis seu ceteris primatibus, quia ego Iustinianus, im-
perialis hypatus et Venetiae dux, pro revelatione Domini
nostrri omnipotens et jussione domini serenissimi impe-
ratoris pacis et conservatoris totius mundi Leonis, post
multa nobis beneficia concessa, feci hoc monasterium
virginum in Venetia, secundum quod ipse jussit aedifi-
care de propria camera imperiali et secundum quod jus-
sit mihi statim cuncta necessaria auri sive argenti dari.
Tunc etiam nobis reliquias sancti Zachariae prophetae et
lignum Domini atque sanctae Mariae pannum sive de
vestimentis salvatoris et alias reliquias sanctorum nobis

ad ecclesiam sanctam consecrandam dari fecit. Ad necessaria huius operis et magistros tribuit, ut citius opus explerent, et, expleto opere, congregatione facta, incessanter pro salute sancti imperii et suorum haerendum exorarent. De thesauro vero, quod manifestat eius cartas cum literis aureis, et totum donum, quod in hoc loco ipse transmisit, in ipsa camera salvum esse statuimus. Ipsam cartam in camera nostri palatii volumus ut semper permaneat, ut non valeat aliquis hoc dicere, quod illud monasterium sancti Zachariae de alicuius thesauro esset constructum, nisi de sanctissimi domini imperatoris Leonis.

53. — 829. *Testamento di Giustiniano Particacio.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, catast. S. Gregorio, VI, 12; cod. Trevisaneo, c. 37, n. 26; BRUNACCI, cod. dipl. Padovano, ms. della Bibl. del Seminario di Padova.

EDIZ.: Gloria, *Codice dipl. padov.* cit., p. 12 sgg., n. 7.

Esemplari dei sec. XIV e XVI derivati da copia autentica del sec. IX.

In nomine domini Dei salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperantibus dominis nostris piissimis, perpetuis augustis, Michaele et Theophilo, a Deo coronatis, pacificis, magnis imperatoribus, Michaelio quidem majore imperatore anno nono, Theophilo vero a Deo coronato eiusdemque dilecto filio anno octavo decimo, inductione septima. Divine inspiracionis ac provide mentis arbitrii, quatenus ut ita quivis suum debeat ordinare judicium, ut post fata omni errore remoto ejus semper tanquam viventis clareat et servetur voluntas. Quapropter ideo ego quidem Justinianus, imperialis hipatus et dux Venetiarum provincie, dum in egritudine decidissem, ambulans tamen ac sedens, mentem vero sanam et integrum possidens, atque consilium considerans humane fragilitatis, improvidus hunc testamentum ac judicium meum condidi signarique precepi Deusdedi presbitero, ubi et manus mea subter affirmavi et testes a me rogatos obtuli numero competente quo testamentum

meum, sicut casus iure civile requirit (1), ut cuique per hunc testamentum dedero, donavero, ligavero, dari vel iussero, aut fieri mandavero, id, ut detur, fiat prestitor fidei. Vos vero Felicitate, uxore mea, et Romana, nurem meam, heredes mihi instituo heredesque meas esse volo in mea hac pro filii mei hereditatem in ternas uncias principales in integro, id est terra, casa, aurum, argentum vel speciebus, hornamentum, laboratorios, solidos, . . . ferro, strumenta, lectora, hutensilia, mobilia vel immobilia, seseque moventibus ex omnia, que habere videor de ex successione domini et genitori meo, sceu et ex ea, que ego laboravi et acquirere potui. Ceteras sex uncias de omnibus, que habere ut supra video, in mea reservo potestatem dispensandi, qualiter juste ac secundum Deum per medelam anime mee providero dando manibus meis et verbo vel cui comisero dispensando. De monasteria vero beati Zacharie ac sanctissimi Hyllarii ita volo atque precipio, ut in vera libertate ac privilegio perpetualiter persistat cum omnibua, que in eis, Deo juvante, edificavi et aggregare curavi vel donavi aut donavero. Et ullam scuxiam publica aut angarias ab eis exigatur, set liceat eos vel eas sub vera deliberacione, qui in eis habitare voluerit, semper persistent atque permaneant et magistro regule subdantur servire sub regula. Tuicione ac difensione, sicut per eorum ammonitos confirmatum habemus, constituimus perpetualiter ordinatas. Istud vero parvo servitio, quod pontifici nostro Olivolensis ecclesie debetur, aut in basilica beati Georgii debetur, aut in suis habentur privilegiis, persolvi fecimus propter maiorem firmitatem ad novelle legum iustituta servanda. Nam nullus audeat umquam ex episcopis Olivolensis vel pertinentibus aut extraneis ipso jam dicto monasterio beati Zacharie pro quovis ingenio aut argomento dominare aut potestatem exercere vel dominare, que ego pro meo servicio vel [largin]tus sum, set neque uxor mea, neque nurri mea in eo ullam habeat potestatem, sed solum modo liceat eas ut ceteras feminas

(1) *Cod.*: sic caus sue (ovvero iure) civili nequi.

cum deliberacione in ipso iam dicto monasterio habitare cum suis rebus, et nullam audeat de rebus suis neque Felicitas uxor mea nec Romana nurus, quas eis per hunc testamentum meum largitus sum, donare vel transportare ad nullus de suis pertinentibus vel extraneis, set solummodo tantum ad predicto monasterio aut pauperibus pro mea ac filii mei et suarum animarum medelam. Abbates vero vel abbatissa in predictas monasterias, quale sibi cohors vel maior pars monasterii secundum Deum elegerit, ipse scit, sicut eorum lex testatur. Breviarium enim hoc facimus de vineis vel territoriis vel reliquis speciebus, quod in ipso sanctum offerimus monasterio, ut per hoc requiratur, cuius cura fuerit, ne a quoquam hominum massulum vel feminam destituta fiant. In primis terras et vineas et campos, que sita sunt in loco, qui dicitur Prato, quod per documenti cartulas habere decrevimus, idest de Grausone tribuno filius quidem Donato tribuno cata Barbalata de Equilo, per duas documenti cartas de Iohanne et Laurencio germanis et tribunis filius quidem Marconi Primollo de Equilo; detinemus per documenti cartas de Maria et Steffana Christi famulas et germanas filia quidem Gatulo de suprascripto vico. Idem detinemus per documenti cartulas de Andrea de filio quidem Iohannaceni Cigullo de Equilo et de Dominico nepote eius. Et detinemus per documenti cartula de Dulciolo tribuno Pascalico de suprascripto vico; per documenti cartas de Vitale tribuno Pascalico; per documenti cartas de Romana, Dei ancilla cata Betegani de Equilo et de Iohania, Dei ancilla, filia eius, et de Maria, filia quidem Orseano Sartarico. Detenemus per documenti cartas de presbitero Borso de Equilo; tenemus per documenti cartas... de teritoria, qui sunt infra fines Civitatis nove, quas donationis cartas habere et tenere visi sumus de Agathe, Christi famula, filia quidem domno Mauricio, magistro militi, qui fuit dux Venec[iarum], quod ei in divisione obvenit da Suria germana eius, sive terra vineas, pratas, campos, pascuas, silvas, arboribus fructiferis et infructiferis seu casas, stabulis, que nos edificare iussimus, sive peculia maiores, minores, cum cavalis, boves, porcis, quas ibidem

congregavimus, vel ordineo, quas illuc esse videmini, . . . fero, navigia, sceu lacos, hubi aquimolos hedifficati fuerint, una cum piscationibus et avium captionibus suis, omnia et in omnibus in integrum et in completum, ubi et ubi eis pertinuerit; sed et vineas, qui sunt in litus Bovensis, quod ei pertinuit in loco . . . qui dicitur Iuncanicus, sceu et vineas, qui sunt in suprascriptis littus, quod ei pertinuit, qui fuerunt delobana cenibis Cogitane de Torcello, atque et vineas, quas dominus Agnelus dux, genitor meus, per documenti cartam [habuit]. Item vineas, quas ego per documenti cartam tenere visus sum de Dominico, filio quidem Iohanni tribuno cata Marcianico de Torcello, cum omnia ad se pertinente; aquimolas autem rotas duas, quas habere visus sum de Petro tribuno, genero quidem Rosaly tribuno. De eo autem . . . qui sunt [territorio] Polense, quas pertinuit Agathe, Dei ancile, vel quod ego per cartan illuc acquisivi vel acquirere visus fuero. Item de ornamento suprascripti monasterii, id est crucem auream maiores unam . . . , calicem argenteos tres, pathenas argenteas tres, turibulos argenteos tres, et alias turibulos ereos duos, coronas ereas viginti quinque, lucernas ereas tres, pallas vero altariorum . . . staure cene . . . [c]endato uno, pecia una circumdata auro et margaritis. Hec omnia, ut potuimus, Deo jubente, suprascripto monasterio donavimus. Ceterum, si voluntas amplius fuerit . . . , de laboratorio solidi in predicto monasterio beati Zacharie adiciemus per verbo oris nostri aut breve. Est enim omnis mea possessio consumata et abbreviata cum illas iamdicas ducentas libras, que in monasterio [donavi] cum speciebus et ornamentis et laboratoriis solidis, si salva de navigatione reversa fuerit, libras mille ducentas, de qua sexcentas reservavi dispensandum pro mea anima cuique per breve, ubi vel ubi conscripsero, et post meum quicquid remanserit obitum, comitto Feliciti, uxori mei, et Justo et Deusdedit presbiteris, qualiter servi Deum previderit, per medelam mee anime dispensare. Reliquas vero sexcentas libras cum eas duas centas, quas in monasterio datas habemus, relinquimus uxori et nurui mee, sicut supra diffinivimus. Servi vero et ancillas meas vollo,

ut omnes sint liberi et liberos secundum suas voluntates conscriptas. Et cui scriptas non sunt, scribantur, ut liberi et liberas sint omnes. De autem portione solo terre vel case nostre, ubi residere videmur, volo ita atque precipio ut omnibus diebus vite sue Felicitas, uxor mea, et Romana, nurus mea, in suas habeant potestates tenendum et donandum vel ordinandum, qualiter providerint, et post eorum obitum dentur per remedium anime mee. Sicut enim Romana, nurus mea, ab eo anno, quo vidua remansit, omnia, que de suis habuit parentibus, in suam habet potestatem, sic et Felicitas, uxor mea, in suam habeat potestatem omnem suum ornamentum, que de suis habuit parentibus, vel que ego facere largire visus sum.... De eo autem monasterio sancti Illarii ita volo atque precipio, si ista ordinacio, que nunc facta est Deusdedit presbitero, stabilita fuerint, volo ut centum sexaginta libras argenti in ipso detur monasterio. Terras et silvas, quas antea glriosus dux Angnelus, genitor meus, quando de ecclesia Santi Servuli ipsum transmutavit monasterium cum prefata ecclesia beati Servuli, ibi perpetualiter dereliquit, et prenominas terras et silvas cum suis circumdatis lateribus, quod est primo latus a fluvio, qui dicitur Clarino, descendente in fluvio, qui dicitur Gambararia, et inde descendente in fossa, quae dicitur Ruga, et inde descendente in canale..... de loco, qui vocatur Luva, percurrente in canale de Seuco usque in aquis salsis; alio vero latere de prefato loco Clarino descendente in finalibus, qui dicitur Aurilia, et inde perveniente per canale, qui dicitur Avisa, perexiente in fluvio Une, super quo prefatum monasteria hedificatum esse videtur: sicut ipse constituit, ita ego confirmo perpetualiter habendum. Et insuper volo et concedo, ut sit in ipso iam dicto monasterio beati Illarii per remedium anime mee de rebus proprietatis mee, quod habere et ad meis manibus detinere visus sum prope se invicem choherente, quod sunt inter totum massaricias quidecim. Primo loco fundo, qui dicit Bursino, cum casis, curtis, ortis, vineis, teris, silvis et pascuis ad se pertinentibus prope loco, qui dicitur Stornapetra. Secundo loco, qui dicitur Cautana, cum ca-

sis, curtis, ortis, teris, silvis et pascuis ad se pertinentibus. Tertio loco, qui vocatur Scorpetho, capite firmante in Cau-tenella cum casis, curtis, ortis, teris, vineis, silvis et pascuis ad se pertinentibus. Quarto loco, qui dicitur Telido, iuxta latere plovega, qui dicitur Vulpino, cum casis, curtis, ortis, terris, vineis, silvis et pascuis ad se pertinentibus. Quinto loco, qui dicitur Mamoniga, ibi de alio latere Vulpino, cum casis, curtis, ortis, terris, silvis et pascuis ad se pertinentibus. Sexto loco, qui dicitur Tar- visiana, cum casis, curtis, ortis, terris, vineis, silvis et pascuis ad se pertinentibus. Septimo loco, dicitur Sopetho, cum casis, curtis, ortis, terris, silvis, et pascuis ad se pertinentibus. Hec prenominatis locis cum suis terminis hac circumda[tis] lateribus, hoc est ab uno latere rio, qui dicitur Cleusca; ab alio latere pluvega, qui dicitur Momoniga; tercio latere pluvega, qui dicitur Tarvisiana quarto latere Plonca percurrente, ad fratrum utilitate[s] per remedium anime [me]e, [sicut] erit ipsa ordinatio. Sexaginta argente libras habeat Deodedi et Dominici presbiteri, cum quibus aut in monasterio aut ubi sibi placuerit, vadant aut disperciant. Cetera C. libras disperciat Felicitas [uxor mea], cu[m] presbiteris pro anima mea. Nam res illas superius nominatas volo ut in suprascripto monasterio perpetualiter maneant, qui supradicta res posita esse videntur in comitatu Tarvisiano. De corpus vero beati Mar[ci] Felicitati, uxor mee, [volo], ut hedificet basilicam ad suum honoren infra territorio sancti Zacharie. Justus vero presbiter, fidelis michi et populi, in omnibus volo ut habeat de mea causa pro suo recto servicio argenti libras L., quas ego fieri precepi, in eius sunt potestates. De petra, que habemus in Equilo, compleatur hedifica monasterii sancti Illarii. Quidquid exinde remanserit de lapidibus et quidquid circa hanc [p]e[tram] iacet et de casa Theophilato de Torcello hedificetur basilica beati Marci evangeliste, sicut supra imperavimus. Hec omnia, ut potuimus, secundum qualitatem nostram ordinare decrevimus, ut stabile perma[neant]. Et qui] de proximis vel extraneis post meum advenerit obitum et hunc testamentum meum infringere vel demi-

nuare voluerit, partem habeat cum Juda illi traditore domini nostri Jhesu Christi et sententia pa[tiatur], sicut in centessimo octavo psalmo legitur et lepra Naaman Syri incurat super eo

+ Ego Justinianus, imperialis ipatus et humilis dux provincie Veneciariu[m], in [hunc testa]mentum [d]e i[u]ssio[n]e nostra conscriptum in omnibus, sicut superius legitur, nobis placuit, per vera firmitate manu mea subscrpsi.

+ Johannes in hunc testamentum per voluntate domni Justiniano ipato manu mea subscrpsi.

- + Carosus, tribunus, in hunc [testamentum] ex precepto domni Justiniani ipati manu mea subscrpsi.

+ Ursus, episcopus sancte Olivolensis ecclesie, in hunc testamento per voluntatem domni Justiniani ipato manu mea subscrpsi.

+ Justus, humilis presbiter, in hunc testamentum ex precepto domni Justiniani [ipati manu mea subscrpsi].

+ Basilius, tribu[nus], in [hunc te]sta[m]en[t]um ex precepto domni Justiniano hipato manu mea subscrpsi.

+ Signum manus Johanaci tribuno testis subscrpsi, cui et relectum est.

+ Johanaci, tribunus, in hunc testamentum domni Justiniani ex precepto [manu mea subscrpsi].

[N. T.] idest: Johannes senator (*rectius, senior*) et germanus domni Justiniani ipati.

Ursus episcopus sancte Olivolensis ecclesie.

Carosus, tribunus, filius Bonizos, tribuno et primato.

Basilius, tribunus cata Trazamundo.

Iohanaci, tribuno, no domni ypati

Iohanaci, tribuno, filius Dominico tribuno.

+ Ego Deusdedi, peccator, presbiter et monacus, scripsi et subscrpsi et post roborationem testium complevi et absolvvi.

54. – 839, 13 maggio. *Lotario al monastero di S. Ilario.*

FONTE: Arch. Stato, Venezia, S. Gregorio, catast., I. XIV, c. 1.

EDIZ.: Gloria, *Codice diplomatico padovano* cit., I, 17;

È falso, se non in tutto, almeno in parte, e fortemente contaminato.

In nomine domini nostri Ihesu Christi Dei eterni. Lotharius, divina ordinante providentia, imperator augustus. Dignum est ut imperialis dignitas servorum Dei petitiones effectuosa deliberatione libenter obaudiat atque ad Dei famulatum utile prebere studeat solarium. Quapropter omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie, presentibus scilicet et futuris, notum facimus quod pro mercedis nostre augumento cuidam monasterio in honorem sancti Ilarii confessoris constructo quendam curticellam Platanum colactam cum capella in honore sancti Petri constructa et decimis quoque ad se pertinentibus et massariciis vel terris seu vineis atque silvis, pratis, pascuis, campis, acervis, fluminibus, rivis, molendinis, portubus, ripatibus, negotiis, tholoneis, quarantessimis, cum omnibus quoque ad ipsum dictum portum vel curticellam pertinentibus, cum suis circumdatis lateribus, hoc est a primo latere canale, quod dicitur Tergola, percurrentes usque in capite de fossa, que dicitur Vissignone, cum rivo, qui dicitur Mauro, ad ipsam fossam pertinente, usque in paludem et aquas salsas percurrente cum fossa, que dicitur Caparia, cum suis rivis ad se pertinentibus usque ipsum terminum habente et a latere argerem capite firmante in flumine, quod dicitur Una, usque in paludem et aquas salsas percurrente. Et latera in predicta curticela Pladano nomine persistunt, nostra munificentia perhenriter possidendam in eiusdem sancti loci contulimus utilitatem. Unde pro firmitatis gratia presentem auctoritatem nostram eiusdem venerabili abbatii, nomine Deusdedit, fieri iussimus, per quam precipientes precipimus, ut ab hinc in futurum jure firmissimo pars ipsius monasterii easdem res quieto ordine teneat atque absque cuiuspiam contrarietate aut inquietudine possideat, et faciat exinde quicquid utilitatis dicto monastrio placuerit. Hec vero aucto-

ritas, ut pleniorem in Dei nomine habeat vigorem et pro futuro tempore inconvulsam obtineat firmitatem, manu nostra propria subter firmavimus et anuli nostri impressione assignari jussimus.

+ Signum Lotharii piissimi augusti

Datum VIII idus maii, anno, Christo propicio, imperii domni Lotharii, gloriosissimi augusti, decimo octavo, in dictione II.

Actum Papie, in palatio regio, in Dei nomine, feli-citer. Amen.

55. – 840, 23 febbraio. Pactum Lotharii.

FONTI: Arch. Stato, Venezia, *Liber Blancus*, c. 1; cod. Trevisaneo, c. 39, n. 27. cod. marc. lat. XIV, 74, c. 71; 75, c. 2 v; 77, c. 37 v.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Legum sect. II.*, *Capitularia Francorum*, II, 129 sgg.; CESSI, *Pacta Veneta*, I, *Pactum Lotharii*, in «Arch. Ve-neto», s. V, vol. III, p. 180 sgg.

Per la composizione cfr. CESSI, *Pacta cit.*, p. 142 sgg.; BESTA, *La genesi del cosi detto patto venetico di Lotario I*, in «Studi in me-moria di Aldo Albertoni», III, 593 sgg.

In nomine domini nostri Jesu Christi dei eterni, anno incarnationis domini octigentesimo quadragesimo, Lo-tharius, divina ordinante providentia imperator augustus, anno imperii eius vigesimo, indict. III, octavo kal. marci, Papie civitatis palacio. Hoc pactum, suggestore ac sup-plicante Petro, gloriosissimo duce Veneticorum, inter Veneticos et vicinos eorum constituit ac describere iussit, ut ex utraque parte de observandis hiis constitutionibus sacramenta dentur et postea per observationem harum constitutionum *pax firma* inter illos perseveret. Vicini vero Veneticorum sunt, ad quos huius pacti ratio pertinet: Histrienses, Foroiulienses, Cenenses, Tarvisanenses, Vincentinenses, Montessilicenses, Gavelenses, Co-maclenses, Ravennenses, Cesentenses, Ariminenses, Pisauenses, Fanenses, Senegallenses, Anchonenses, Humanenses, Firmenses, Quinenses, quibus locis presenti tem-pore constituti sunt vel in futuro constituti fuerint, maiores et minores, quos constituit ipse imperator, ut cum Petro,

duce Veneticorum, et cum ipso populo Veneticorum, idest cum habitatoribus Rovoalti, castri Helibolis, Amurianae, Mathamauci, Albiolae, Cluiae, Brunduli, Fissionis, Laureti, Torceli, Amiana, Burani, Civitatis novae, Finis, Equili, Caprularum, Gradi, Caput Argeris, et cum omnibus hiis locis habitantibus tam episcopis ac sacerdotibus quam et primatibus seu reliquo populo et cuncta generalitate ad ducatum Venetiae pertinentibus hoc pactum observare deberent per annos constitutos numero quinque, *ut nulla malitia nec lesio inter partes perveniat, et si, quod absit, aliquod malum inter partes commissum fuerit, secundum pacti huius seriem emendare et iusticiam conservare ad invicem repromittunt.*

1. Et si excursus in finibus vestris Veneciарum factus fuerit, personam ipsam, quae in capite fuerit ad eandem malitiam faciendam, intra sexaginta dies parti vestrae tradamus, et omnia, quae fuerint ablata, in duplum restituamus, et si ipsum duplum vobis non composuerimus, aut si personam ipsam manibus vestris non dederimus infra sexaginta dies, pro unaquaque persona, quae ipsam malitiam perpetraverit, auri solidos quingentos componamus.

2. – *Et addimus ut homines vestros, postquam pactum anterius factum fuit Ravennae, qui ad nos configium fecerunt, si eos invenire potuerimus, ad partem vestram restituamus.*

3. – *Similiter repromittimus vobis ut homines christianos de potestate vel regno dominationis vestrae scienter non emamus nec venundamus nec pro quolibet ingenio transponamus, ut captivitatem paciantur aut eos suis dominus perdat, sed neque aliquem christianum alicubi qualibet occasione transponamus, ad hoc ut propterea in potestate paganorum deveniat, et, si invenerimus quod aliquis eos in ducatis nostris adduxerit, modis omnibus ad partem vestram reddamus. Qui ipsa mancipia christiana adduxerit venundanda et omnia, quae secum adduxerit, ipse, qui eos adprehenderit, habeat concessa.*

4. – *De captivis vero, si inventi fuerint in ducatis*

nostris, ipsas personas, quae ipsos captivos transposuerint, cum omnibus rebus et familiis ad partem vestram reddamus. Et si hoc factum non fuerit, tunc praebeat sacramentum iudex loci illius, ubi ipsa mancipia requiruntur, cum quinque electis, quales pars vestra elegerit, quod ea mancipia illis non fuissent suscepta nec inde transposita.

5. — Et hoc spondimus, ut quicumque post renovationem huius pacti ad nos confugium fecerit, cum rebus eorum parti vestrae reddantur.

6. — Si autem aliqua scamera aut hostis vel qualiscumque persona per fines nostros contra vos ad vestram lesionem vel ad vestra loca venire temptaverit et ad nostram pervenerit notitiam, mox sine aliqua tarditate vobis nunciamus, ita ut per nos nullam lesionem habeatis.

7. — Et hoc statuimus ut, quocumque mandatum domini imperatoris Lotharii, clarissimi augusti, vel missorum nobis nuntiatum fuerit inter utrasque partes, ad vestrum solatium cum navali exercitu contra generationes Sclavorum, inimicos scilicet vestros, in quo potuerimus, solatium praestare debeamus absque ulla occasione.

8. — Spondimus quoque, ut nullis inimicorum, qui contra vos vestrasque partes sunt vel fuerint, nos, qui modo sumus, vel qui fuerint, adiutorium ad vestram lesionem faciendam praebere debeamus sub quolibet ingenio infra hoc spatium pacti.

9. — Si enim furtum inter partes factum ferit, in quadruplum restituatur.

10. — Si servi aut ancillae, infra hoc spatium, inter partes confugerint, cum omnibus rebus, quas detulerint secum, reddantur. Et iudex, qui ipsos fugitivos reddiderit, pro unoquoque singulos auri solidos recipiat, sic tamen ut, si amplius requiritur, per sacramentum idoneum dominis illorum satisfactum sit.

11. — Si vero iudex ipsos fugitivos susceperit et eos

reddere negaverit et exinde aliud confugium fecerint, pro unoquoque fugitivo auri solidi septuaginta duo componantur.

12. — Et hoc statuimus de fugitivis, de quibus constat ad eos iudices vel loca ipsi fugitivi fugerint, quod si dubium fuerit et denegaverint iudex et actor loci illius, in quo liberi et servi requiruntur, tunc praebent sacramentum duodecim electi, quod ibi nec suscepti fuerint nec illos habeant, nec in conscientia eorum sit, nec aliquas res eorum secum habuerint. Si autem hoc distulerit facere post primam et secundam contestationem, praesentia testium peracta, per iussionem iudicis sui liceat eum pignerare hominem de ipso loco, ubi causa requiritur, ita tamen ut ipsum pignus post peractam iustitiam in integro reddatur, et nullatenus liceat alicui per alia loca pignus accipere, nisi ubi fugitivi aut causa requiritur, aut pignoretur, et si pigneratio pervenerit, [non presumat alia pars pro pignere aliam pignerare, sed expectet ad audiendum ita sane ut cause in sex mensium spatio fiant et sint finite cause, reddens prius quod ex iuditio condemnatus fuit], et pignus suum recipiat. Si autem infra sex menses proposuerit ipse iudex aut alia persona, qui pignus tulit, iudicium habere, post transactos illos sex menses in duplum iudex loci illius omni modo ipsa pigneraria reddat. Nam, si quis de alio loco pignus tollere praesumpserit, aut sine causa tulerit, vel aliquem pro pignere pignerare praesumpserit, in duplo, quod tulerit, restituat.

13. — Si vero equi vel equae aut armamentum aut aliqua quadrupedia fuerint ablata aut semet ipsa aberraverint, modis omnibus parti vestrae redditantur. Quod si post primam et secundum contestationem minime redditia fuerint, tunc perveniat pigneratio de loco, ubi hoc requiritur, usque dum pars parti satisficiat, et post satisfactionem ipsa pigneraria reddantur.

14. — *Et hoc stetit ut si fugitivi seu res redditiae fuerint et per sacramentum satisfactio adimpta fuerit, modis*

omnibus pars parti sive reddendi sive iurandi securitatem faciat.

15. – Si quis vero, infra hoc spatium, pignerare praesumpserit, excepto memorato capitulo, causam perdat, et, quod tulerit, restituat.

16. – *Negociis autem inter partes liceat dare quod inter eas convenerit vel invenire potuerint sine aliqua violentia aut contrarietate exceptis ab aliis, ita ut aequa conditio utrarumque partium negotiis, in quibus fuerit, conservetur.*

17. – *De ripatico vero et transituris fluminum stetit, ut secundum antiquam consuetudinem debeamus tollere per portus nostros et flumina et nullum gravamen vel violentiam faciamus. Et si factum fuerit et ad nostram notitiam pervenerit, eis faciamus exinde iustitiam facere. Et homines vestri licentiam habeant per terram ambulandi vel flumina transeundi, ubi voluerint: similiter et homines nostri per mare.*

18. – *Sed et hoc convenit, ut, si qua lesio inter partes evenerit, legatarii non detineantur, sed securi ad propria redeant. Similiter et epistolarii, si detenti fuerint, relaxentur et componantur eis solidi trecenti, et si, quod absit, occisi fuerint, componantur parentibus eorum pro ipsis solidi mille, et ipsa persona tradatur in manibus eorum.*

19. – *Si quis inter partes causas haberit, vadat semel vel bis cum epistula iudicis sui, et, si ei iustitia minime facta fuerit infra dies quatuordecim, si ipse homo, unde iustitia requiritur, infra ipsum locum fuerit, infra dies septem, licentiam habeat pignerare iudicem, qui in ipso tempore ordinatus fuerit, infra casam suam, quantum ipsum debitum fuerit, et ipsum pignus salvum sit usque ad suprannominatas noctes: et si ipsum pignus ante steterit, componantur sol. XII, causa manente, ut in antea et iterum pigneratio non fiat, ubi potuerit, in fines, ubi causa re-*

quiritur. Sic tamen ut, ubi iudicium ambabus partibus denunciatum fuerit, resedentes duo de utraque parte de loco, ubi causa requiritur, [prestent iuramentum], et quod ipsi per evangelia determinaverint, pars parti satisfaciatur.

20. — *Addimus etenim, si quis homicidium perpetraverit, stante pacto, modis omnibus partibus vestris ligati tradantur, quanti in ipso homicidio mixti fuerint, et si distulerit eos tradere, pro unaquaque persona componat auri solidos trecentos. Et si aliquis in silva pignerationem facere voluerit, sic fiat sine homicidio; et si, quod absit, homicidium factum fuerit in libero homine, componat pro ipso auri solidos trecentos, et pro servo solidos quinquaginta; et si plaga peracta fuerit in libero homine, componat solidos quinquaginta, et pro servo solidos XXX.*

21. — *Et hoc stetit, ut de feminis ac mulieribus, seu puellis, vel gregibus equarum, vel gregibus porcorum indomitorum nulla pigneratione fieri debeat, et, si qua pars facere praesumpserit, componat solidos quinquaginta, et ipsa pigneratione salva restituatur.*

22. — *Similiter stetit, ut in res sanctorum ecclesiarumque Dei nulla pigneratione fieri debeat, excepto si cum sacerdotibus ecclesiarum ipsarum causas habuerit, et antea compellatio fiat semel aut bis, postea fieri debeat pigneratione: nam qui aliter facere praesumpserit, duplum componat, et, si nescius pignoraverit, praebeat sacramentum et sit sollicitus, ut ipsum pignus salvum restituat.*

23. — *Et hoc stetit de cautionibus sive de quibuslibet commendationibus, ut, si quis aliquid dederit ad negocianendum sive aliqua pignera posuerit et solidos mutuaverit, scilicet qui scriptum fiduciationis aut pignus habuerit, ipse faciat iuramentum: et tunc secundum legem et iustitiam incedat iudicium et iustitiam faciat pars parti de hiis et similibus causis, de quibus in anteriori pacto continetur.*

24. — *Et hoc stetit, ut de capulo Rivoaltenses, Olivolenses, Amorianenses, Methamaucenses, Albiolenses, Torcellenses commandantes fecerunt ab hodie in annos XXX, ubi capulaverunt, habeant licentiam capulandi, sicut supradictos annos habuerunt consuetudinem, sive per flumina sive per*

mare : et flumina, quae aperta habuerunt in fine Tarviana ab hodie in annos triginta, reaperiantur.

25. — *Equilensis vero capulare debeat in ripa S. Zenonis usque ad fossam Methamauri et Gentionis, secundum consuetudinem, omnem arborem non portantem, et vehere cum carro aut ad collum aut quantum sibi placuerit, anteposita fossa Gentionis, ubi minime praesumat introire. Et arbores non portantes infra ipsos fines designatos licentiam habeat, quantum sibi ad collum portare potuerit, lignam faciendum, non ad pectus trahendum, nec amplius per nullum capitulum arbores portantes delere; et qui prae- sumpserit arbores portantes delere, componat solidos centum, et, si aliter introire prae- sumpserit, suprascriptae subiaceat poenae. Et licentiam habeat peculia vestra in ipsos fines pascere.*

26. — *De finibus autem Civitatis novae statuimus, ut, sicut a tempore Liuthprandi regis terminatio facta est inter Paulitionem ducem et Marcellum magistrum militum, ita permanere debeat, secundum quod Aistulfus ad vos Civitatinos novos largitus est.*

27. — *Placuit autem super haec omnia, ut missi domini Lotharii imperatoris omni tempore parati sint iustitiam facere, ita ut unusquisque ex utraque parte suam pleniter recipiat iustitiam, et ipsi missi a parte domini nostri, quidquid iussum fuerit, recipient.*

28. — *Peculiarumque vestrarum partium greges pascere debeat cum securitate usque in terminum, quem posuit Paulitius dux cum Civitatinis novis, sicut in pacto legitur de Plave maiore usque in Plavem siccam, quod est terminus vel proprietas vestra.*

29. — *Caprisani vero in silva, ubi capulaverunt, in fines Foroiulianos semper faciant redditum, et eam capulent, sicut ante capulaverunt.*

30. — *Et stetit, ut de Gradensi civitate secundum antiquam consuetudinem debeat dare [redditum] et capulas facere, ubi antea fecerunt, in fines Foroiulianos, sicut antiquitus fecistis.*

31. — *Reservamus in eodem pacto ut pars parti de causis ecclesiarum et monasteriorum iustitias faciant.*

32. – *Et hoc stetit de Clugiensibus, ut revertantur per loca sua ad habitandum.*

33. – De eunuchis vero statuimus, ut, si quis eos ab hinc in antea facere praesumpserit secundum inolitam consuetudinem, ut ipsam poenam substineat ipse, aut se de nobis redimat: et si hoc negaverit se fecisse, cum duodecim electis se inculpabilem reddat, sin autem, poenam sustineat.

34. – Volumus, ut per sex mancusos solidos ab uno homine sacramentum recipiatur, et, si plus fuerit, usque ad duodecim mancusos duorum hominum iuramentum sit satisfactum, et ita usque ad duodecim libras Venetorum, semper addendum, per duodecim electos iuratores perveniat, ut, quantae sint librae, tanti sint etiam iuratores: nam si ultra duodecim librarum [summam] questio fuerit, iuratores ultra XII non excedant.

35. – Statuimus enim de pigneribus, quae inter partes posita fuerint, ut, si qua contentio de his orta fuerit, illi tribuatur arbitrium iurandi, qui pignus habuerit (1).

56. – 841, 1 settembre. *L'imperatore Lotario conferma ai Veneziani il possesso dei beni nel regno.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, *Liber Blancus*, c. 4; cod. marc. Zanetti lat., n. 400, c. 76 v.; cod. naz. Torino, I, iv, 7; cod. marc. lat. XIV, c. 69; 77, c. 37.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Capitularia*, II, 136 sgg.; Dandolo, *Chronica*, ed. cit., 151 sg.

In nomine domini nostri Jhesu Christi Dei eterni,

(1) La trascrizione del Diplòvataccio (cod. marc. lat. XIV, 75, c. 5; 77, c. 39) reca in margine il seguente escatocollo:

Et ut hec nostra constitutionis et pacti auctoritas fidelibus nostris credatur et nostris successoribus per tempora habentia omnime munimine stabiiliatur, manu propria fideliter eam firmavimus et anuli impressione signari iussimus.

Signum Hilotarii serenissimi angusti.

Erambalodus notarius. Actum Teodonis, pallatio regio.

La sua autenticità è però assai dubbia.

Lotharius, divina ordinante providentia imperator augustus. Dignum est ut celsitudo imperialis quantum ceteros honoris et potestatis fastigio antecellit, tantum erga omnes pietatis sue munus impendere satagat. Igitur omnium fidelium sancte Dei ecclesie presentium et futurorum comperiat magnitudo, quia Petrus, dux ac spatarius Veneticorum, per Heverardum, fidem comitem nostrum, ac per missum suum, Patritium nomine, nostram deprecatus est maiestatem, ut ex rebus sui ducatus, que infra dictiōnē imperii nostri consistere noscuntur, confirmationis nostre preceptum fieri juberemus, per quod ipse ac patriarcha, pontifices, et populus illi subiectus sibi debitas res absque cuiusquam contrarietate seu refragatione retinere quivissent, quemadmodum temporibus avi nostri Karoli per decretum cum Grecis sancitum possiderunt. Cuius petitionem, ut nobis celestis suffragatio copiosior adsit, libenter acquiescentes, hos excellentie nostre apices decrevimus fieri, per quos statuentes decrevimus, ut nullus in territoriis, locis peculiaribus, aut ecclesiis, domibus seu rebus et reliquis possessionibus presignati ducatus, que infra potestatem imperii nostri site esse noscuntur, umquam ingerere presumat inquietudinem, diminutionem seu calumniosam contradictionem, aut subtractionem nephandam, sed liceat eas prefato duci, patriarchae, episcopis, populo sibi subiecto seu successoribus eorum ac heredibus quiete absque cuiusquam insultantis machinatione aut sinistrum cuiuspiam molientis tergiversatione jure gubernare et, gubernando, prout liquidius in predesignato decreto continetur, legaliter possidere. Et ut hec nostra confirmationis atque corroboracionis auctoritas fidelibus sancte Dei ecclesie et nostris verius credatur, et nostris successoribus per tempora habentia omni munimine stabiatur, manu propria fideliter eam firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

+ Signum serenissimi Klotarii Augusti.

Erambaldus notarius

Datum kal. septemb, anno, Christo propicio, imperii

domini Lotharii, pio augusto, in Italia XXII, in Francia II, indict. IIII.

Actum Theodonis palacio regio, in Dei nomine.
Amen. Feliciter.

57. – 844-46. Sergio II papa ad Andrea patricia.

FONTE: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 43, n. 28.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., Epist., V, 584 sg.

Pro universis Dei ecclesias diversa semper debemus tollerare certamina. Sic enim nos scriptura saepe admonet, dicens: «Ambulate, dum lucem habetis» (*Ioh. 12, 35*). Nam de suscepto magisterio, quod habemus divinitus attributum, ante opificis nostri oculos districtam posituri rationem erimus, si de sanctis Dei ecclesiis, quandiu hic vivimus, negligentes vel desides fuerimus. Et quia vestra nobis fraternitas nuper missos suos et epistolam misit, pro intentione scilicet illa, quae inter vestram et Gradensem sedem hactenus manet, pro qua nostram fieri epistolam iussimus eamque per eosdem missos vestros Venerio patriarchae mandavimus, ut uterque vos simul et ille die sacro natalis beati Martini ad causam et intentionem vestrarum sedium perquirendam atque definiendam Romam debuissetis, omni dilatione deposita, pervenire. Tamen, ut nihil exinde remaneat imposterum, hoc animo nostro venit consilium, ut sine auctoritate sive consensu karissimi filii nostri domni imperatoris hoc non debuissemus peragere. Et quia non solum vestra modo, verum etiam pene omnes ecclesiae scandala patiuntur, mandavimus eidem domino imperatori, quod, si ipsi libitum fuerit, adiuvante nos Christo, desiderium habemus generalem synodus congregare, quatenus ibidem, quae nunc innormiter, quod cum magna contritione cordis dicimus, peraguntur, confratrum nostrorum suffulti solatio correpta ac ventilata modis omnibus fiant. Unde vos interim abstinere previdimus, quousque dominus noster imperator nobis exinde re-

sponsum mandare dignetur. Nam et Venerio patriarchae simili tenore mandavimus, ut usque ad tempus pro re supradicta expectet: tempore enim, quo nos responsis imperialibus certi fuerimus, nostram ad vos epistolam destinabimus festinanter, ut quantocius ad audiendum vel ad sustinendum canonica nullatenus deferatis venire. Deus enim te incolumem custodiat, reverendissime ac sanctissime frater.

58. – 852, 29 gennaio. Ludovico II a Benedetto vescovo di Cremona.

FONTE: Cod. Sicardi. Arch. secreto cremonensi, f. 37.

EDIZ.: Muratori, *Antiquitates Italiae*, II, 25; Robolotti, *Codice diplomatico longobarbo*, n. 175.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Hludovicus, gratia Dei imperator augustus, invictissimi domni imperatoris Hlotarii filius. Si enim ea *etc.* – Quia vir venerabilis Benedictus, sancte cremonensis ecclesiae presul, nostris obtutibus ostendit precepta antiquorum regum Hliutprandi et venerande memorie Karoli, actavi nostri, necnon Hludovici, serenissimi imperatoris, avi scilicet nostri, et domni genitoris nostri Hlotarii, prestantissimi imperatoris, que dum recognovissemus, omni sanctione sue ecclesie confirmatum comperimus portum Cremonensem et Vulpariolos. – De quibus – adinvenimus eundem portum sub omni integritate eidem ecclesie pertinere, et cuiuscumque loci vel gentis ripa palum figere, quandoque devenerit in sortem stare, et riparios juxta portum piscare et debere reddere per unamquamque navem decimum modium salis, et palisfictura denarios quatuor. Venetici etenim suum censum, sicut consueti sunt, reddere debent. Transitus enim navium debita exatione persolvantur. Et ut hec nostre auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus et anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Raberius, notarius domni imperatoris, ad vicem Dru-
ctemiri recognovi.

Data IV kalendas februarii, anno, Christo propicio,
imperii domni Hlotharii, pii imperatoris, XXXII et Hlu-
dovici, gloriosissimi augusti, in Italia II, indictione XV.
Actum Sex Pilas, curte Regia, in Dei nomine. Amen.

**59. – 852, 1 aprile. Papa Leone IV concede
l' uso del pallio a Vittore.**

FONTE: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 45, n. 29.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1106 (solo parzialmente).

Leo episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Victori, sanctae Gradensis ecclesiae patriarchae. Diebus vitae tuae tantummodo, si pastores ovium sol geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, ut, ne que ex eis aut errando pereat aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectent, quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles nos, qui pastores animarum dicimus, attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiae reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter caeteros iudicemur. Pallium autem fraternitati tuae ad missarum solemnia celebranda concedimus, quod tibi non aliter, ecclesiae tuae privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, nisi solummodo in die sanctae ac venerandae resurrectionis domini nostri Yesu Christi, seu in natalitiis sanctorum apostolorum atque beati Baptiste Ioannis, necnon in assumptione beate Dei genitricis Mariae, simulque in dominicae domini nostri Yhesu Christi nativitatis die, pariterque in solemnitatis ecclesiae tuae die, verum etiam et in ordinationis tuae natalitio concedimus die, sicuti a beatissimo predecessor nostro domino Gregorio, huius almae sedis presule, sanctitum est. In secretarum vero indure fraternitas debeat et ita ad missarum solemnia proficisci et nihil sibi amplius ausum temerarie presumptionis erogare,

nedum in exteriori habitu inordinate aliquid adripitur, ordinate et, quamquam licere poterant, admittantur. Cuius quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandum est, hortamur ut et cuncta ornamenta convenient, quatenus, auctore Deo, recte, ut ubique, possit esse conspicuus. Itaque vita tua filii tuis sit regula in ipsa; si qua tortitudo illis iniecta est, dirigant in ea, quod immittentur; aspiciant in ipsa se; semper considerando proficiant, ut tuum post deinde videatur esse bene quod vixerint. Cor ergo neque prospера, quia temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa deicient, sed, quicquid illud fuerit, virtute patientiae devincatur. Nullum apud te locum odia; nullum favor indiscretus inveniant destrictum; mali cognoscant insontem apud te culpabilem; sugestio mala non faciat nocentem; te gratia excuset; remissum te delinquentibus non ostendas, ne, quod ultra non fueris perpetraris. Sit in te et boni pastoris dulcedo et iudicis severa districtio, unum scilicet quod innocenter viventes soveat, aliud quod inquietos ferendos a pravitate compescas. Sed quoniam nonnumquam prepositorum zelus, dum destrictus maiorum vult existere, transit in crudelitate correctio, iram iudicio refrena et censura disciplinae sic utere, ut et culpam ferias et a dilectione personarum, quas corrigis, non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, operibus exhibe; oppressis defensio tua subveniat; opprimentibus modeste [cor]rectio contradicat; nullius facie contra iustitiam accipias, nullum querentem iuste dispicias; custodia in te aequitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audire, nec pauperem de sua faciat humilitas despicere, quatenus, Deo miserante, talis possis existere, quallem sacra lectio precipit dicens: «Oportet episcopum irreprehensibilem esse». Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistrum caritatis habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater carissime, inter multa alia, ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii, quae, si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiae suae protectione circumdet atque ita in

timoris sui tua nos dirigat, ut post vitae huius amaritudinem ad fraternalm simul pervenire dulcedinem mereamur.

Scriptum per manum Theodori, notarii et scrinarii sancte romane ecclesie, in mense martio, indictione quindecima.

Bene vale.

Data kalendis aprilis per manum Tiberii, primicerii sanctae sedis apostolicae, imperante domino piissimo perpetuo augusto Hlotario, a deo coronato, magno imperatore, anno tricesimo quinto imperii et pacis eius, sed et Hludovico novo imperatore eius filio, anno secundo, ind. XV.

60. — 853, febbraio. *Testamento di Orso, vescovo di Olivolo.*

FONTI: Museo civico di Padova, arch. demanio, rubr. diplomatica, fasc. B, n. 28 (copia del sec. X); Arch. Stato, Venezia, S. Lorenzo, catastico (sec. XIV).

EDIZ.: Gloria, *Cod. diplomatico padovano* cit., I, 22 sgg., n. 11.

In nomine domini Dei salvatoris nostri Ihesu Christi. Imperante domno nostro piissimo perpetuo augusto Michaelio, a Deo coronato, pacifico, magno imperatore, anno autem imperii eius tercio decimo, mense februariarum, indictione prima. Divine inspiracionis et provide mentis arbitrii, quatinus ut ita quis suum debeat hordinare iudicium, ut post facta, omni errore remoto, eius semper tamquam vivens clareat et servetur voluntas. Quapropter ideo ego quidem Ursus, sancte Olivolensis ecclesie episcopus, dum in senectute devenisset, ambulans tamen ac rediens, mente vero sana et integra possidens atque consilio considerans humane fragilitatis impulsus, hunc meum testamentum hac iudicium condidi signari Constantino diacono, scriba servienti nostro, et manu mea propria super firmavi et testes a me rogitos obtuli numero compitentes subscribendum et signum sancte crucis faciendum. Quod obsecrante clemencia Dei et divina gratia preveniente, si-
cut inspiratus sum et voluntas milhi aderevit prehordinata.

ri per hanc paginam, ut stabilis permaneat perpetuis temporibus, primitus inter hec omnia volo et iudico adque dispono et ordino rem iuris proprietatis meae, quod habere visus sum de iure et proprietate patris mei, idest basilica beati Laurentii levite et martiris Christi cum omnia ad se pertinentem mobile vel immobile cum casas sol. terre cum vineas muris vallatas et per circuitum ibidem factum, seu et libros conscriptos, necnon et pallios et reliqua ciminia sanctorum, quod habere videtur vel ibi congregare visus sum. Volo et testificor ut hec omnia ad se pertinentem, sicut dixi et prefatus sum, ut sit in privilegio et vera libertate in patriae Veneciae, et nunquam extra patria, sub defensione Veneciarum persistere debeant perpetuis temporibus, ita ut nulla angaria, nulla scuphia publica persolvant, et nullus sit ex proximis meis vel extraneis, qui in ea habeat potestatem dominandum per quovis ingenium, nisi sola Romana soror mea, ita ut in omnibus diebus vitae suae hordinandum recte et meliorandum in omnibus et non alienandum, sed sacrificium offerendum et laudes Deo decantando et pro delictarum animarum parentorum meorum et mea. Unde pro intentione voluntatis meae, conservato iudicio patris mei, de ipsa basilica relinquo ibi de res mea uncias sex principales ad opus sanctuarii et a culto meliorationis ipsius basilice quamque et ad stipendia, que ibidem Deo recte servierint bone voluntatis hordinandi. Talis ordinacio post habitudinem nostrum secundum Deum ambulet, ut noster labor, Deo auxiliante, in lucrum animarum nostrarum perveniat et in conspectu domini mereamur consequi. Quod si absit, ut non credimus, talis adveniat hordinatio de hanc germana Dei ancilla, que secundum Deum non ambulet, set secundum suam voluntatem vel prava desideria, et non ea a se abicere voluerit de hoc, quod iustior me ordinatus sum, tunc pontifex et qui in illo tempore vel diebus fuerit, qui talem eam inspexerit, predicare ei iuxta statuta sanctorum patrum mansuete et benigne debeat, nam non proterve, et si hoc episcopus exinde negleserit predicari, portetur hoc peccatum a Deo et exinde gravetur in iudicio. Quod si hoc malum, quod

supra legitur, ipsa predicta soror mea Romana se obser-
 vaverit et custodierit se de malo vicio et Dei servicio adim-
 pleverit, tunc habeat firmissimam potestatem post ho-
 bitum suum monasterio hordinare a quocumque homine
 voluerit per vera virtute, sicut et ego ei omnia hordinavit,
 ut non sit homo nec maior nec minor, qui contradicere ei
 debeat. Hec ita in Dei nomine prehordinata et determinata
 nostris et futuris temporibus in vita sive post morte
 perpetualiter iudicamus esse constituta. Reliqua vero,
 que habere videor, sicut per breve mea determinavero
 specialiter et fuerit hordinata, ita permaneat tam in pa-
 rentibus quamque in matrem sanctam ecclesiam, tam
 in loco sanctorum sive pauperibus captivis quamque
 in sacerdotibus, ita ut specialiter dixi, maneat terminatum.
 Volo et iubeo in sancta matris mee ecclesiae, que ego in-
 dignus peccator Ursus episcopus a fundamenta edificavi
 et in omnibus ea construxit cum omnem edificio suo et
 hornamentum eius, que acquisire ego ibi potui de omni
 specie, postquam hunc pontificatum accepit, ut ibi per-
 manere debeant omnia usque in perpetuum. Insuper
 de propria rem meam pro medelam anime meae offero
 pro restauratione ipsius sancte ecclesiae beati Petri
 apostoli, idest libras trecentas de argento bono, adhuc et
 aliud, quod nobis omnipotens Deus inspiraverit et beatis-
 simus Petrus apostolus. De autem basilica beati Severi
 confessoris Christi volo et iubeo, ut coniuncta permaneat
 semper cum ecclesia beati Laurentii, ut nulla separatio
 exinde fiat. De reliquo, que remansit extra istas iamdictas
 sex uncias principales, que iamdudum terminatum habeo
 in basilica beati Laurenti et sorori meae, volo et iubeo de
 mea causa, ut exinde fiat tres porciones, prima parte in
 redemptione captivorum, alia vero in sacerdotes et paupe-
 ribus, tercia vero porcio in restauracione ecclesiarum
 Dei et in monasteria, sicut mea voluntas decreverit, et ad
 consanguineos meos, cui ego nominando testificavero
 tam in vita mea quamque post habitum meum. Post
 hec omnes exinde contempti de ista hereditatem meam
 in futuro maneat excepto, cuique voluerit et amaverit so-
 ror mea de sua porcione commemorare, volo et iubeo ut

centum libras de argento vadat pro animam meam in redēptione captivorum et aliut vero centenarius vadat pro sacerdotes et pauperes Dei, tercius vero centenarius distribuere debeatis per monasterias et restauracione ecclēsiarum Dei et cuique voluerit Romana soror mea. Et in monasterio beati Hillari confessoris Christi volo et iudico, ut dare debeatis de isto ipso tercio centenario uno sacco de pipere et alium de alivano et alium in parentes nostros. De cunctum autem habere, magnis et parvis, et de omnia et in omnibus, quos ego unquam adquisivit, hec totum vadat pro animam meam, secundum quod dispositum habeo, necnon et ipsum monasterio, que predicta soror mea ibi hordinavit, ego, ut ipsa ibi Deo servire debeat cum suis, qui se Deo voverit, sub nulla potestas terrena constitutum vel hordinatum, fiat nisi cum comune consilio congregationis et secundum quod per meum testamentum hordinare iussit et in potestate mea hordinavi pro animam meam tam et in proximis meis sive et in extraneis. Placuit mihi omnia et in omnibus in vera mente necnon et sincero consilio hordinare adque constituere ipsum meum monasterio pro mea anima sive parentibus nostris seu de extraneis vel de quacumque ratione, que superius vel inferius manet; omnia et in omnibus supradicta sorori meae in illius maneat potestate, quecumque facere voluerit tam in vita mea quamque post obitum meum, et si quacumque potestas terrena vel sumi pontifices seu qualibet instructa persona hominum sive propinquai vel extranei contra hunc iudicium meum vel testamentum ire temptaverit aut corrumpere vel minuare aut subtrahere voluerit, pro quovis ingenio incurrat in Dei omnipotentis maledicicio et partem accipiat cum illo Iuda traditore impio, qui tradidit dominum nostrum Ihesum Christum, et de centesimo octavo psalmo sentencia paciatur, et sine corpore et sanguine domini nostri Ihesu Christi ante ipsum in die iudicii appareat, et insuper anathematis vinculis ibi permaneat. Volo et iubeo ut huius testamentus vel iudicium meus stabilis adque immobilis permaneat perpetuis temporibus.

Signum manus domino excellentissimo Petro, impe-

rialis co[n]solis, propria manu sua cum consensu populi
Venecie proprio signum fecit + et in hoc testamento in
omnibus consentienti.

+ Iohannes, dilectus eius filius, gloriosus dux Veneciarium, in hoc testamentum rogatus ad Ursus episcopus manu mea subscrispi (1).

Deusdedi, tribunus, presbiter.

Vitalicus, archidiaconus, rogatus ad domino Ursu episcopus manu mea subscrispi.

Patricius in hunc testamentum manu mea subscrispi.

Dominicus, tribunus in, hunc testamentum rogatus ad Ursus episcopus manu mea subscrispi.

Iohannes, tribunus, in hunc testamentum rogatus ad Ursus episcopus manu mea subscrispi.

Andreas Contareni in hunc testamentum rogatus ab eo testis subscrispi.

Fuscaro, tribunus, filius Dedo tribuno, in hoc testamento rogatus ab eo testis subscrispi.

[N. T.] Testes idest: Petrus, excellentissimo gloriose dux Veneciarium. Iohannes, dilectus eius [filius], gloriose dux Veneciarium. Deusdedit tribunus. (Vitalicus) trib[unus] cata Lup[ranicus]. Patricius, filius Vitalis. [Dominicus tribunus] cata Mastalicus. Iohannes, tribunus, cata Magistracus. Fuscarus, filius Deusdeto, trib[uno].

S. N. Constantinus diaconus, scriba, hunc testamentum complevi et roboravi in omnibus sub mense et indicione suprascripta prima.

(1) Negli esemplari segue la sottoscrizione di un patriarca Elia, che non si sa chi sia, ed è certamente interpolato da maldestro contaminatore: + Ego Helias patriarcha cum successoreribus meis communem consensu manu mea subscrispi. I successores e il communis consensus nel caso attuale sono indici sicuri di contraffazione.

I N D I C E


PREFAZIONE pag. V


DOCUMENTI:

| | | |
|---|---|-----------|
| 1. - 421. Fondazione di Venezia | » | 1 |
| 2. - 537-8. Cassiodorio ai Tribuni marittimi | » | 2 |
| 3. - 574-78. Benedetto I sanziona la traslazione della sede aquileiese | » | 4 |
| 4. - 579, novembre. Consecrazione di S. Eufemia | » | 5 |
| 5. - 579, 20 aprile. Pelagio II consacra il diritto metropolitano di Grado | » | 7 |
| 6. - 579, 3 novembre. Sinodo di Grado. | » | 7 |
| 7. - 590-91. Gregorio I al vesc. Severo | » | 14 |
| 8. - 590-91. Suggestio episcoporum ad Mau- ritium | » | 14 |
| 9. - 591. Maurizio imp. a Gregorio I | » | 20 |
| 10. - 592, luglio. Gregorio I al vesc. Giovanni | » | 21 |
| 11. - 603. Gregorio I a Smaragdo | » | 21 |
| 12. - 605-07. Il vesc. Giovanni a Re Agilulfo | » | 23 |
| 13. - 628, 18 febbraio. Onorio I ai vescovi Istriani | » | 23 |
| 14. - 642-47. Teodoro I a Primogenio | » | 24 |
| 15. - 683-5. Benedetto II ad Agatone | » | 25 |
| 16. - 723, 1 dicembre. Gregorio II a Sereno | » | 26 |
| 17. - 723, 1 dicembre. Gregorio II agli Istriani | » | 27 |
| 18. - 725, 1 marzo. Gregorio II agli Istriani | » | 28 |
| 19. - 725-731. Elezione di Antonino | » | 30 |
| 20. - 727, ottobre. Leone e Costantino per la Chiesa gradense | » | 31 |
| 21. - 731. Gregorio III ad Antonino | » | 32 |
| 22. - 731, 1 novembre. Sinodo romana | » | 33 |
| 23. - 731-2. Gregorio III a Callisto | » | 38 |
| 24. - 736. Iscrizione Torcellana | » | 39 |
| 25. - 739-40. Gregorio III ad Antonino | » | 39 |
| 26. - 740-41. Gregorio III ad Antonino | » | 40 |

| | | | |
|--------------------------------------|--|------|-----|
| 27. | - 743, 6 giugno. Re Liutprando per la dio- | pag. | 41 |
| | cesi di Oderzo | | |
| 28. | - 757, 14 aprile. Promissio Carisiaca | » | 44 |
| 29. | - 761. Paolo I a re Pipino | » | 45 |
| 30. | - 770-72. L'arc. Giovanni a Stefano III | » | 46 |
| 31. | - 771-72. Stefano III agli Istriani | » | 50 |
| 32. | - 771-2. Stefano III al vesc. Giovanni | » | 51 |
| 33. | - 774. Donazione di Carlo Magno | » | 52 |
| 34. | - 775, 27 ottobre. Adriano I a Carlo Magno | » | 53 |
| 35. | - 776-780. Adriano I a Carlo Magno | » | 54 |
| 36. | - 785. Adriano I a Carlo Magno | » | 55 |
| 37. | - 803, 21 marzo. Leone III a Fortunato | » | 56 |
| 38. | - 803, 13 agosto. Carlo Magno a Fortunato | » | 58 |
| 39. | - 803, agosto. Carlo Magno a Fortunato | » | 59 |
| 40. | - 804, novembre. Placito di Risano | » | 60 |
| 41. | - 806. Leone III a Carlo Magno | » | 68 |
| 42. | - 813, 11 novembre. Leone III a Carlo Magno | » | 69 |
| 43. | - 814-820. Ludovico I a Fortunato | » | 70 |
| 44. | - 819. Donazione di S. Ilario | » | 71 |
| 45. | - 824. Legati del pat. Fortunato | » | 75 |
| 46. | - 825-6. Venerio a Ludovico I | » | 79 |
| 47. | - 825-6. Ludovico I e Lotario a Venerio | » | 81 |
| 48. | - 825-6. Venerio a Ludovico I | » | 82 |
| 49. | - 827 giugno. Ludovico I e Lotario a Ve- nerio | » | 83 |
| 50. | - 827, giugno. Sinodo di Mantova | » | 83 |
| 51. | - 828. Venerio a Gregorio IV | » | 90 |
| 52. | - 827-9. Fondazione di S. Zaccaria | » | 92 |
| 53. | - 829. Testamento del doge Giustiniano | » | 93 |
| 54. | - 839, 13 maggio. Lotario al mon. di S. Ilario | » | 100 |
| 55. | - 840, 23 febbraio. Pactum Lotharii | » | 101 |
| 56. | - 841, 1 settembre. Privilegi di Lotario | » | 108 |
| 57. | - 844-6. Sergio II ad Andrea | » | 110 |
| 58. | - 852, 29 gennaio. Ludovico II al vesc. Benedetto | » | 111 |
| 59. | - 852, 1 aprile. Leone IV a Vittore | » | 112 |
| 60. | - 853, febbraio. Testamento del vesc. Orso | » | 114 |
| INDICE » 119 | | | |

Finito di stampare il 13 Gennaio 1940 - XVIII






DELLA STESSA COLLEZIONE:


**Aetheriae Peregrinatio ad loca sancta a cura di
EZIO FRANCESCHINI.**



Prezzo L. 20.—







181

